BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10 I
43

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

29
C
16


13.9.A.17

De Vſuris libri tres,

PER CONRADVM
Paulum Brunſuicenſem,
I. V. D.
Iam recẽns in lucem editi.

Adiecta eſt Conſultatio de Excommunicatione, Eiuſdem.

Cum Præfatione [redacted] ad Autorem.



BIBLIOTECA N.LE ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

RANC. Apud Hæred. Chri. Egenolphi.
M. D. LXI.

[redacted] CVNRADO
Paulo S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CLARISSIme uir, et patrone colende. Delector conſideratione ordinis diuini, & æqualitatis in contractibus, & hunc ipſum ordinem teſtimonium eſſe de Deo ſentio, qui & oſtendit ſe conſulere generi hominum ſanciendo mutuas compenſationes, & monet ut ſciamus ipſum æqualem eſſe καὶ ἄνευ προσωποληψίας. *Exiſtimo & Iuriſconſultos æqualitatem ſapienter et rectè quærere. Volo igitur edi ſcriptum tuum. Vtinam uerò reges et principes ſæuerè tuerentur honeſtas contractuũ leges. Me-*

[illegible] cipes, ante annos octo del berare ac prohibendis uſuris, quæ ibi creſcunt ſupra duas centeſimas. Si coràm exponere poſſem, recitarē quàm diſsimilia fuerint cōſilia. Ita Rex impeditus abiecit eā deliberationem. Quæ de tua uoluntate in me tuendo ſcribis, grata mihi ſunt. Spero aūt multis bonis & ſapientibus uiris meos labores notos eſſe, quorum beneuolentiam oppono iniuſtis odijs, quibus & indocti & mali aduerſus me uulgus concitant. Sed filio Dei me commendo. Benè & feliciter uale. Dei beneficio fratris tui filius Andreas rectè ualet: & quia natura doctrinarum capax eſt, & uoluntas incitata ad uirtutem, feliciter diſcit. Datæ die 22. Februarij Anno 1559.

RE-

REVEREN-
*DISSIMO AC ILLV-
ſtriſſimo Principi et Domino, Domi-
no Sigiſmundo, Archiepiſcopo Ma-
gdeburgenſi, Germaniæ primati, diœ-
ceſis Halberſta. adminiſtrato-
ri, Marchioni Brande-
burgenſi &c. S.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOMINVS NOſter Ieſus Chriſtus Dei filius, cùm ferè iam patris ſui æterni promiſſum impleuiſſet, prędicationiq; ſuæ finem imponere, ac propediem morte ſua opprobroſiſsima mundi peccata expiare decreuiſſet, tandem etiam grauiſsimè

de extremo iudicio ac fine huius mundi concionatus eſt. Ac ne dies illa iræ, dies illa horrendi iudicij, nos tanquam improuiſos ac minus attentos obrueret, prouidos ac uigilantes eſſe, paternè admonuit, illiusque rei plurima ſigna ac prodigia fore commonſtrauit, tam in terra quàm in cœlo, Sole, luna, atque ſtellis: item bellorum motus, famem, peſtem, & anxietates extituras. Sed omniũ illud magis horrendum, ac omni animaduerſione digniſsimum, quod ait Mat. xxiiij. Abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Quod Paul. ad Timoth. cap. iij. latius explicat, cùm inquit: Illud autem ſcito, quòd in extremis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim homines

mines amantes ſui, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, neſcij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, uoluptatum amantes potius, quàm amantes Dei, habentes formam pietatis. Etſi enim omnia iſta uitia nunc temporis, proh dolor, pluſquàm manifeſta ſunt, maximè apud illos, qui inſolentiores, minuſque ſunt cauti, nec uel aſtu, uel qua prudentia prædi‐ti: Nam homines ſcelerati, effrœnatique hanc ſibi animo induxerunt opinionem, omnia audere, neminem reuereri, hominis ſtrenui quaſi proprium, ac uirtutis decus eſſe: Tamen omnium maxima

ac grauiſsima, & inprimis ab ijs, qui pij, ac honeſti uideri uolunt, prudentia doctrinaque præditi, ac in æſtimatione ſunt, perpetrantur: idq; prætextu quodam ac ſpecie recti, ut Paulus clarè teſtatur, cùm inquit, Formam pietatis habentes. Nam ſub illa ſpecie, ac religionis antiquę, ſummi errores contra apertum Dei uerbum defenduntur, ipſa idolatria admittitur, atque fouetur, uerè pij, doctique fraude, dolis, circumueniuntur, calumnia prægrauantur, proditione ac tyrannide opprimuntur, bonis atque fortunis ſpoliantur, deniq; & ipſa uita priuantur.

Sub hac eadem ſpecie, infinitæ religionum ſectę confictę ſunt, ſuperſtitionum mira uarietas intro-

ducta,

ducta,diuerſi, in diuerſis, ac abdi-
tis locis, diuorum cultus inſtituti,
quemadmodum Chriſtus fore præ
dixit Matth. cap. xxiiij. Surgent
enim pſeudoprophetæ & ſpeudo-
chriſti,& dabunt ſigna magna atq;
prodigia,ita ut in errorē,ſi fieri poſ
ſet, inducantur etiam electi. Et ſi
dixerint uobis, ecce in deſerto eſt,
nolite credere &c. Ex eo etiam fa-
ctum, ut ſub hac ipſa ſpecie, liberi
ad parentum inobedientiam com-
moti, mundi opes attractæ ſint,
pro quibus omnis ingratitudo ex-
hibetur, homines enim prophani
minūſque pij, quaſi carentes affe-
ctu, & neſcij fœderis, ac priſtinæ
inſtitutionis intentum minimè at-
tendentes, ad omnem faſtum, ſu-
perbiam,luxum, ac omnis generis

uoluptatem, præcipitanter, ac arrogantia inflati, eas profundunt, uel ut auaritiam expleant, theſauros ſibi colligunt. Sic etiam ſub nomine caſtitatis, uel etiam cœlibatus ſtupra, adulteria, inceſtus, ac fœdiſsimæ turpitudines, per libidinem perpetrantur. Et in ſumma Daniel Antichriſti regnum totum, regnum facierum fore præfiniuit. Similiter & ſub prætextu illo admodum ſpecioſo, ut religio & pax publica conſeruetur, bella conflantur, ex quibus non niſi omnis generis calamitates, & ſentina malorum emergit. Et belli neruus pecunia cùm ſit, quę, ut ſtatim confici ac in promptu haberi poſsit, Vſurarij ſummo honore cœpti ſunt haberi, & conſuetudine quadam confir-

confirmati,factum, ut ſub hac ſpecie recti ſine omni pudore, pecuniam ſub uſuris collocare amplius nemo uereatur, ut hoc malum adeò inoleuerit, quòd quaſi impoſſibile eſſe uidetur aboleri,& ab hac opinione homines reduci poſſe uerendum ſit, ſicut & omnia cætera uitia, de quibus Paulus loquitur, indies magis magiſque, uti à Chriſto prædictum, abundare atque accumulari uidemus. Qua re omnes pios dolore affici, ac ſummoperè angi dubium non eſt. Et hoc non tam ipſorum cauſa, quàm poſteritatis gratia, cùm metuendum, paucis elapſis annis, ueritatis lumen propter hominum peccata, maximè uerò ingratitudinem, uel tyrannide, uel ſectarum

multi-

multitudine, & hoc magiſtratu-um negligentia omninò extinctum iri.

Sed cùm dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui fidelis eſt, addixerit, ſe nobis adfuturum eſſe, uſque ad conſummationem huius ſeculi, ſperandum, quòd aliquos pios magiſtratus ac principes ſuſcitaturus ſit, per quos ipſius doctrina & Eccleſia conſeruetur. Et cùm obſcurum non ſit, Celſitu. tuam uerè Deum timere, ut cui & uera pietas ueraque religio curæ ſit, quæ & ex innata indole, morum uirtutiſque decus amet: omnia uitia, omnémque fucum ſummè execretur: ſumma ſpes eſt, non ſolùm ueram doctrinam prophetarum, Apoſtolorum, ac ipſius domini no-

ſtri

ſtri Ieſu Chriſti, per Ce'ſitu. tuam conſeruatum, morumque integritatem reſtauratum iri, ſed ad poſteros ut hæc perueniant, etiam ſummo ſtudio atque conatu curaturam eſſe.

Et cùm inter cetera Vſurarũ prauitas inprimis omni odio, omni execratione digna, nihilque magis Reip. maximè uerò Chriſtianæ, interſit, quàm ut omnino ex ea pellatur, in qua re uel autoritate, uel ſtudio ac diligentia tua Cel. nemo prę ſtantior inueniri poteſt. Quidquid igitur amicorum inſtinctu, informationis cauſa, de Vſuris à me congeſtum atque expoſitum eſt, tuæ Celſitu. tanquam ipſius proprium dedicare uolui, ac nomine ipſius in publicum edi curare, cùm parum

rum proſit, ut inquit Iuriſconſultus, ius in ciuitate eſſe, niſi ſint, qui hoc ipſum adminiſtrent. Quamobrem hunc meum conatum, hocque meum ſtudium, eo nomine inprimis tuæ Celſitudini commendatum eſſe opto, ac precor Deum Opt. Max. ut per Spiritum ſanctum ſuum Celſitudinis tuæ mentem illuſtret, ut per eam nobis Eccleſiæ ac Reipub. ſtatus, omniumq; ordinum mores atque uita reformentur, ut uera pœnitentia, uera fide, uera inuocatione, ueroq; cultu diuino placere Deo, & abnegata impietate in hac ultima mundi ſenecta, ſobriè, iuſtè, piè, amanter ac placidè uiuere poſsimus, expectantes beatam illam ſpem & illuſtrationem gloriæ magni Dei, &

ſeruatoris

ſeruatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, ne imparatos, extinctis lampadibus, nos inueniat, & ut uera Euangelij doctrina, morúmque integritas ad poſteros, quod inprimis optandum, peruenire poſsit, ac ne magis magiſque ſuperabundet iniquitas, quantum liceat humanis uiribus prouidere. Nam huius rei cauſa, his ultimis temporibus, in ſummis nos uerſari periculis, negare non poſſumus, cùm ipſe Chriſtus hoc fore prędixerit nobis. Sed ſapiens, inquit Salomon, mala pręuidet ac fugit, initium uerò ſapientiæ, timorem domini eſſe, Dauid teſtatur, Pſal. cxi. & Pſal. cxix. Lucerna pedibus meis uerbum tuū, & lumē ſemitis meis. Quare ſi omnia ad timorem Dei, illiusq; uerbum,
tanquam

tanquam ad certiſsimam regulam redigãtur, omnia pericula, omnia impiorum tela, omnia ſectarum retia dubio procul euitabimus. Nã tandem omni iniquitati obſtruetur os, deſideriúmque impiorum euaneſcet. Et Deus Opt. Max. Cel. tuam diu nobis incolumem conſeruet, iuxta illud Prouerb. x. Timor domini apponit dies, &anni impiorum peribunt. Halberſtadij primo Calend. Martij, Anno domini M. D. LVIII.

Illuſtriſſ. Cel. tuæ

Deditiſsimus

Conradus Pauuel, D.

HONE-

HONESTO AC INTEGERRIMO uiro Gerhardo Pauuel, fratri ſuo chariſsimo, S. P.

CVIVS INSTINctu libellum de Vſuris conſcripſerim & in publicum edi permiſerim, tu; qui omñium meorũ conſiliorum particeps es, noſti: quod ut facerem eò facilius mihi perſuaderi paſſus ſum, ut poſteris noſtris monumentum atq; exemplar extaret, quo admonerentur, contra apertum Dei uerbum quicquam non cõmittendum, ſed ſemper memorię infixũ haberent Pſalmiſtæ dictum: Maledicti qui decli-

nant à mandatis tuis. Nec hac in re ſucum ſibi fieri ullo modo permittant, & hoc inprimis conſuetudinis nomine, etiam authoritate magnorum uirorum comprobatæ, Quod quàm facilè fieri poſsit, ex hoc unico uitio, quod in Vſuris exercendis inoleuit, uidere licet. Nam, dij boni, quotnam præſtantes uiri ſunt, uerbo etiã diuino apprimè inſtrũcti, qui hac labe infecti, peccati loco minimè ducunt? Quare etiam non dubitandum, hunc meum libellum paucis placiturũ, imò potius deriſui fore, cui ueterem diſciplinam quaſi ſtoico iam dudum abolitam, renouare libuerit. Sed quàm in omnibus pijs, iuſtis, honeſtis ac publicè utilibus rebus atque cauſis peruerſa hominũ

ſint

ſint iudicia, ubique, proh dolor, eſt obuiam. Idcirco etiam non mirum, ſi nunc in hanc, nunc in illam difficultatem atq; anguſtias rerum dilabi contingat. Nec eſt, quare hæc mala, quibus mundus premitur, & peccatis noſtris ac temeritate noſtra promouentur, ipſi Deo bonorum fonti, ut fieri ſolet, adſcribamus: quemadmodum & Homerus ait: Homines ſibi ſunt exitio, & tandem culpam in Deum reijciunt. Sed hæc eſt ipſa cæcitas, imò potius obſtinatio, non agnouiſſe errata, indè non dubitandum, quòd cùm uenerit filius hominis, fidem ullam ſit inuenturus, uti ipſe prædixit. Quare obnixè Deus rogãdus, ut ſuos cõſeruet, nec nos labi ac cõdemnari cum mundo incredulo.

permittat, ſed ſemper vigilantes eſſe atq; inſtructos in ſuum glorioſiſsimū aduentum, per ſuam gratiam atque ineffabilem miſericordiam, nobis noſtriſq; poſteris concedat, Amen. Datum Halberſta. 22. die Martij, Anno &c. 58.

ELENCHVS EORVM quæ hoc de Vſuris libello tractantur, a. priorem, b. alteram chartæ faciem notat.

A.

Aeſtimatio illius quod intereſt, in cuiuſuis arbitrio non conſiſtit. 86 b
Aeſtimatio illius quod intereſt, quomodo ineunda. 91 a
Alberti Imperatoris conſtitutio contra Vſurarios. 112 b
An id quod intereſt propter moram, ſit uſura. 23 b
Auari ac uſurarij homines ἄστοργοι. 106 a
Auarum, niſi cûm moritur, nihil rectè facere. 106 b

C.

Cambio uerbum antiquum idem quod permutare, ſignificat. 75 b

Cambiorum uſus licitus,& ad publicam utilitatem maximè utilis. 76 b
Commutatio quæ per Campſores fit,ad negotiandi facultatem neceſsaria. 77 a
Contractus qui certi, uel incerti ſint. 89 a
Chryſoſt. pecuniam mutuô acceptam aſpidis morſui ſimilem dicit. 17 b
Creditor imaginem repræſentat debitoris. 64 b

D.

De eo quod intereſt. 81 a
Definitio uſuræ. 19 b
Donum extorquens, ut ſolutionis tempus prorogetur, uſuram committit. 28 b

E.

Emptio & uenditio. 48 a

de Ex.

de Excommunicatione conſultatio 114 a

F.

Filios debitorum pignoris loco qui recipiunt, à credito cadunt, &c. 38 a
Fœneratorum tabulæ ab Agide Athenienſium duce in foro concrematæ. 13 a
Fœnus & uſura, propriè loquendo, idem ſignificat. 18 b
Foenus exercere tam eſſe contra naturam, quàm ipſum homicidium. 13 b
Fœnus quaſi fœtus Latinis dicitur. 17 b
Fructus rei pignoratæ uſura ſunt 30 a
Furtum non modò contrectando proximi facultates, ſed etiam dolis & uſurarum fraude fieri. 9 b

H.

Hypocritæ impletionem legis externam quandam diſciplinam ſtatuunt. 9 a

I.

Id quod intereſt, dupli quantitatem non excedere. 90 b
Ignorantia iuris nemini patrocinari debet. 75 a
Intereſſe quid. 82 b
Intereſſe quotuplex. 84 b
Iudæis fœnerari quare permiſſum. 4 b
Iuri offerendi ſeu redimendi an præſcribatur. 58 b
Ius offerendi quibus modis conſideretur. 59 a

L.

Locatio & conductio. 46 b

M.

Modus illius quod intereſt, à Iuſtiniano præſcriptus. 83 a
de Mutuo dictum Chriſti peruerſè à Sophiſtis interpretatum. 8 b
Mutuò dans rem, ut meliorem conſequatur, uſuram facit. 32 a
Mutuò non facilè dandum nec accipiendum. 43 a
Mutuum dans, ſub ſpe remunerationis, uſuram committit. 29 b

O.

Obſides pro re mutuata an dari acceptariue poſsint. 36 a

P.

Pactum de retrouendendo an ſit licitum. 55 b
Pecuniam mutuò acceptam aſpidis morſui comparat Chryſoſtomus. 17 b
Penſionum ſiue redituum emptiones. 50 a

Pœna an ſit uſura. 34 b
Pœnæ quæ licitè exigi poſsint. 102 b
Pœnæ uſurariorum. 105 b
Præſcriptioni odioſæ, ob negligentiam introductam, renunciari poſſe Bald. docet. 73 a

Q.

Quadrageſimo quoquo anno, etiam precio non reſtituto, res ad dominos reuertebantur, uetuſto Hebræorum Iure. 75 a
Quinque à centum mutuò datis rectè an accipi poſsint. 22 b

R.

Redituum ſiue penſionum emptiones. 50 a
Rei pignoratæ fructus uſura ſunt. 30 a
Rem mutuò dans, ut meliorem conſequatur

ſequatur, uſuram facit. 52 a
Res ſine uſurarum fraude quibus modis acquiri poſsint. 45 a
de Retrouendendo pactum an ſit licitum. 55 b

S.

Societatis contractus licitus. 79 a

V.

Vendens carius iuſto precio, quòd eius ſolutio differatur, uſuram cōmittit. 27 a
Vſura an ſit quod propter moram intereſt. 23 b
Vſura latro legalis. 13 b
Vſura & fœnus in quo differat. 18 a
Vſura quid. 17 a
Vſuræ definitio. 19 a, b
Vſuræ iure poſitiuo prohibitæ. 6 b
Vſuræ uerbo diuino prohibitæ. 3 a
Vſuram committit, qui extorquet donum, ut ſolutionis terminus proro-

prorogetur. 28 b
Vſuram contra naturam eſſe,& gentes docuere. 11 b
Vſura pœna iræ diuinæ. 13 b
Vſurarij ac auari homines ἄσοργοι. 106 a
Vſurarij manifeſti qui. 109 b
Vſurarij non manifeſti qui. 110 a
Vſurarij teſtamenta condere non poſſunt. 111 b
Vſurariorum pœnæ. 105 b
Vſurarios fures eſſe. 106 a
Vſurarium uermiculo ligni ſimilem Baldus dixit. 18 a
Vſurarum prohibitio arctiſsima. 16 a
Vſurarum uariæ fraudes hodierno tempore excogitatæ. 33 a

DE

DE VSVRIS, LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA N.LE ROMA VITTORIO EMANUELE

Vſuræ uerbo diuino prohibitæ ſunt, Ergo nulla conſuetudine, nec induci nec comprobari poſſunt. Cap. I.

ADEO VSVrarum labes increbuit, ut uitij & peccati loco, etiam ab ijs, qui iudicio pollent, autoritate ac doctrina prędititi ſunt, non habeatur, ut fieri ſolet, cùm uitia in mores abierunt. Quia tum longa conſuetudine non ſolùm excuſari, ſed iuris autoritate niti, ac etiã peſsima quæq; facinora uim legis obtinere

contenditur, ut Sapien. xiiij. ca. de idololatria ſcriptum legitur. Deinde interueniente tempore, & conualeſcente antiqua conſuetudine: hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colun tur figmenta. Sed hic monendi ſunt omnes pij, ne hac ſpecie recti & nomine cōſuetudinis ſe decipi, ac ab ipſa ueritate & uerbo diuino diuelli patiantur. Non demoreris in errore impiorum, inquit Eccleſiaſtes, nec reputeris in nume ro indiſciplinatorum. Nec à Dei præceptis facilè recedendum eſſe putemus, cùm ſcriptum legatur: Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Item, in æternū uerbum tuum Domine. Et Ioan. xvij. Sermo tuus ueritas. Et Dei filius Dominus noſter Ieſus Chri-

ſtus ait: Ego ſum uia, ueritas & uita. Ergo, inquit Auguſtinus, nō conſuetudo, ut refertur *viij.d. c. ſi conſuetudinem*. Et ibidem libr. ij. de unitate baptiſma. Veritati manifeſtæ cedat conſuetudo. Et Cypria. Quælibet conſuetudo, quantumuis uetuſta, ueritati omninò eſt poſtponenda, & uſus ueritati contrarius eſt abolendus. Nam conſuetudo ſine ueritate, uetuſtatis error eſt, ut *c. ſi. ext. de conſuetud.* Quod nedum diuinis in rebus locum habet, ſed etiam in ciuilibus, ut habetur *§. nulli. in auth. Vt nulli li. ba. loci ſeru. ibi.* malè enim adinuenta, malęque cōſuetudines, neq; ex longo tempore, neq; ex longa conſuetudine confirmantur. *& l. ij. C. quæ ſit lon. conſue. l. deprecatio. ff. ad legem Rod. de iactu.* Vbi dicitur, quòd ua-

leat conſuetudo, cui lex non aduerſatur. Quantò magis hoc locum ſibi uendicat caſu, quo contra apertum Dei uerbum aliquid uſu introductum eſſe apparet. Nam ab eo nullo modo nos recedere debere, conſtanter affirmandum eſt, ut habetur Deute. cap. iiij. Non addetis ad uerbum quod loquor uobis, nec auferetis ab eo. Et Matth. xvij. Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite. Et Paul. ad Gal. i. Si quis aliud Euangelium prædicauerit, anathema ſit. Igitur ea quæ diuina uolũtate & prouidentia conſtituta ſunt, ſemper firma ac immutabilia permanere, nec ulla lege uel conſuetudine, quantumuis diuturna, aboleri fas eſt: nec fieri poteſt, ut uſu interueniente, peccata non ſint peccata, alioqui & iamdudum ipſa decalogi præ-

gi præcepta abolita fuiſſent. Ideò ſemper tenenda illa Tobiæ ſententia cap.iiij. Omnibus autem diebus uitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta domini Dei noſtri. Item Pſal. cix. Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini.

Vſuræ autem non ſolùm decalogi ſenſu, qui generaliter acceptis uerbis percipi ſolet, prohibitæ eſſe cenſentur, ut ſeptimo præcepto: Non furtum facies. Item decimo: Non cõcupiſces rem proximi tui, nec omnia quæ illius ſunt: cùm nulla alia ratione, cuiuſquam facultates facilius expilari certũ ſit, quàm Vſurarum fraude. Accidit enim plerunq; ut nõ niſi ab indigentibus, ex quadam neceſsitate, ſub

fœnore, pecuniæ mutuò accipiantur, quas propter certitudinē promiſſionis, ſoluere cūm teneantur, etiamſi nullos fructus rerum ſuarū perceperint, eos ad inopiam redigi, & daniſtam ſiue uſurarium, cū ſui proximi detrimento locupletari neceſſe eſt. Inde & ſequitur, neminem maiori cum ſtudio, atque ardore res alienas appetere uideri, quàm illi ipſi, qui uſuris exercendis intenti ſunt. Verùm enimuerò ne ullus calumniandi locus relinqueretur, quaſi uolenti iniuria fieri nō poſſet, Deum proprijs ac expreſsis uerbis uſuram prohibuiſſe, multa paſsim in ſacra ſcriptura extant teſtimonia, ut Exo. ca. xxij. Si pecuniā mutuò dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis quaſi exactor, nec uſuris opprimes.

mes. Et Leui. cap. xxv. Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu uixerit tecum &c. nec accipias uſurã ab eo, nec amplius quàm dediſti. Time Deum tuũ, ut uiuere poſſit frater tuus apud te. Et rurſus repetit: Pecuniam tuam non dabis ad uſuram, & frugum abundantiã nõ exiges. Et Deut. xxiij. Fratri tuo abſque uſura id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus. Et Chriſtus Luc. vi. Mutuũ date, nihil inde ſperantes. Hęc tam clara & aperta teſtimonia diuinæ uoluntatis, nullo fuco, nullisq; præſtigijs ac longa conſuetudine eludi queunt, Deus enim nõ irridetur, nec eſt quaſi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Nume. xxiij. Omnis enim homo mẽdax, Deus autem uerax.

Roma. ij. Et quò magis homines ab uſuris exercendis deterreantur, additæ ſunt promiſsiones, & horribiles ac æternæ pœnæ, ut Deute. xxvij. & Ezech. xviij. Is qui ad uſuram nõ dederit, & amplius non acceperit, hic iuſtus eſt, & uita uiuet. Item Pſal. xv. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur ſine macula, & pecuniam ſuam non dederit ad uſuram. Hinc Ambroſius in libro de bono mortis inquit: Si quis uſuram accipit, rapinam facit, uita non uiuet.

Quare Iudæis permiſſum fœnerari. Cap. II.

QVòd autem legitur Eccleſiaſ. viij. Noli fœnerari homini fortiori te. Itẽ Deu. xv. fœneraberis gentibus multis. Ex quibus poſſe

inferri

inferri uidetur, uſuras permiſſas eſſe. Sed ſciendum, quòd Iudęis propter iram Dei contra gentes conceſſum fuerit, ut illas fœnore grauarent. Cùm enim Deus uniuerſalis ſit Dominus omniũ, & ipſius ſit terra ac plenitudo eius, ideò & poteſt omnia auferre, dare, ac transferre pro ſuo arbitrio: ut Amoræi, & Cananæi, cæterę́q; gentes iuſſu diuino expulſæ ſunt. Quod adhuc indies fieri uidemus, ut regnum de gente in gentem transferatur, propter iniuſtitias, iniurias ac diuerſos dolos, ut Eccleſiaſt. ſcriptum legitur. Sic memoria patrum noſtrorum, regna Burgundiæ, à Carolo Burgundiorum duce, ſic à Ioanne filio, ducatum Calabriæ, Similiter à Reinardo patre, regnum Siciliæ, inſtituto hęrede Carolo Gallorum

rege, ab Alphonſo, Neapolitanum regnum, à Ferdinando Hiſpaniæ, à Ludouico Hungariæ, à Chriſtierno Daniæ, Sueciæ & Noruuegiæ regna, à Carolo Menapiorum duce, Geldriæ ducatus, à Franciſco Sphortia, Inſubrium duce, Mediolanum, ab Eguardo optimæ ſpei adoleſcente, Britanniæ, à Iacobo Scotiæ regna in alios translata fuiſſe conſtat. Et in Gallia omnes ducatus & principatus quaſi in unum regnũ contractos, taceo alias mutationes propter recentem memoriam ac alta mente repoſtum dolorem. Cæterùm & quis poſſet ſine ſummo dolore recenſere omnia illa regna, quæ Turca paucis elapſis annis occupauit, cum ſumma tyrãnide & deuaſtatione, & hoc haud dubiè propter impietatem ac contemptum

temptum uerbi diuini. Eſt enim, ut inquit Dauid, terribilis regibus terræ, auferens ſpiritum principibus, uindex & ultor omnis iniuſtitiæ, ac non uno modo, ſed uarijs ac infinitis malis impios affligi ſinit. Ideò etiam uſuris ut uexarentur gentes, expreſſo uerbo Iudæis mandatum fuit. Et ut [redacted] ait, ipſos meliores gentibus nō fuiſſe, niſi quòd Deus eos ſola miſericordia elegerit ac aſſumpſerit, ita ut ſi rem penitius introſpicias, nō Iudæi ſint, qui fœnerentur, ſed Deus ipſe fœnore Iudæorū gentes perſequatur. Hodie autem cùm Iudæi deſierint eſſe populus Dei, lex ſublata eſt. At nos qui Chriſti ſacris initiati ſumus, membra ac cohæredes ipſius, & charitatis uinculo coniuncti, omnia etiam ad ipſius normam, tan

quam

quam Lesbiam regulam redigere debere,& inhærere Chriſti uerbis: Mutuum dantes,nihil inde ſperantes,certum eſt.

Vſuræ iure poſitiuo prohibitæ. Cap. III.

HInc etiam factum, ut tam iure Canonico quàm ciuili,omnis fœnerandi facultas ſit ſublata,quę Romanis legibus,priuſquam Cæſares,Chriſti traditionibus,inſtituti, uſque ad legitimum modū permiſſa fuit,ut *l.eos.C.de Vſu.*Sic pleraq; alia,ad Chriſti normam redacta ſunt, cùm nefas eſſe ducerent pij Imperatores, ijs quæ diuinitùs tradita eſſent, per ciuiles ac politicas leges quicquam derogari. Et ideo Imperator Iuſtinianus omnes Chriſtianos Euangelicam doctri-

nam

nam ac Apoſtolicam diſciplinam in prima cõſtitutione amplecti iubet, ut *C. de ſum. trini. & fi. Catho.* & alibi, ut in *auth. de Eccleſiaſt. tit.* Sanxit idem, uicem legum obtinere, quæ à quatuor ſanctis Concilijs, ut Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Calcedonio, expoſita ac confirmata ſunt: Et ideò iura ciuilia non dedignari ſequi ſacros Canones, uulgo dicitur &c. Quod & Imperator ſe facturum profitetur, maximè in his, quæ animæ ſalutem concernunt, ut *auth. Vt determina. ſit* Cle. *nu.* Sed conciliorum decretis & iure Canonum prorſus prohibitas eſſe uſuras patet, ut *xiiij. q. iij. & ext. toto tit. de uſu.* Quod & Azo, Irnerius, Accurſ. Bar. Bal. Salice. & Abbas inprimis, cæteriq; doctores docuerunt. Et tametſi

metſi ſint, qui eas iure ciuili permiſ-
ſas cōtendant, idq́; eo cauillo, quòd
expreſsè & ſpeciatim prohibitæ
non ſint, & Iuſtinianus ad eam quæ
fidei eſt doctrinam, ſe ſolum aſtrin
xerit, non autem ad ea quæ perfe-
ctionis conſilia eſſe cenſentur, alio
qui & tractatum de uſuris, tam in
digeſtorum libris, quàm ſuo Codi
ce inſeri non iuſsiſſet, ſed omnino
remouiſſet. Tamen contra hęc per
pendenda ſunt uerba ipſius Impe-
ratoris, qui ſimul & Euangelicam
doctrinam & diſciplinam nos am-
plecti iubet, nec uериſimile eſt, tan-
ti ingenīj ac pietatis principem, unā
partem Euangelīj apprehendere,
& aliam quæ legis eſt, & ad pœni-
tentiam ac mores, rectéq; inſtituen
dam uitam pertinet, poſthabere
uoluiſſe. Cùm Chriſtus dicat: Cœ-
lum

lum & terra donec prætereat, unũ ἰῶτα aut apicem non perire ex lege. Item, Nõ ueni tollere legem, ſed ad implere. Præterea hoc cõmentum Sophiſtarũ, de conſiliorum & præceptorum diſcrimine, ſacris literis comprobatum non eſſe, nemo eſt qui ignoret, cùm de hac re ſatis abũdè per ὀρθοδόξους doctores inſtruamur. Sed cur tractatus de uſuris à Iuſtiniano non ſit reiectus, idẽ & de diuortijs dubitari poteſt. Verũ his de rebus paulò ante Iuſtinianũ, ac etiam poſt illius tempora, diuerſas theologorũ extitiſſe ſententias, hiſtoriæ memoriæ prodiderũt: Separari enim ab homine cenſuerũt, qui humanis affectibus ductus diuertebat: ſecus aũt ſi legitima ex cauſa, quã apud Epiſcopos prouinciales quis dixiſſet. Et ita in concilio

Agatenſi,

Agatenſi,c.xxv.declaratur.Et idem etiam cenſuit D. Ambroſius in i. Paul. ad Corinth. vi. Et hæc ſententia in caſu adulterij nullam habet dubitationem, cùm Chriſtus Matth.xix.ipſe dicat: Quicunq; repudiauerit uxorem ſuam, niſi ob ſtuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium: licet pòſt per Sophiſtas ac Monachos deprauata ſit hæc ſententia. Quòd uerò Chriſti dictum de mutuo, conſilium, ad uitam perfectiorem pręſtitum, interpretati ſunt, id minus probè ab ipſis factum, Auguſti. declarauit, in ſermone domini de monte, ubi inquit: Quiſquis præceptis non obtemperat, reus & debitor eſt pœnę. Et paulò pòſt: Præcepto Domini non obedire, peccatum eſt. Cuius ſententiam ſecuta pòſt Eccleſia, & Orthodoxi

Orthodoxi doctores ad hunc uſque diem contra Sophiſtas defenſarunt, totam illam concionem Chriſti Matt. v. & vi. non ad perfectioris ac purioris uitæ rationē inſtituendam pertinere, ſed ueram ac genuinā decalogi explicationē eſſe, ut magis peccatum agnoſcatur, Roma. x. Nam Iudæi falſam habebant perſuaſionem, uti omnes hypocritæ adhuc habent, impletionem legis eſſe externam quandam diſciplinam, ac eam perfectè adimpleri, ſi ea quę Decalogo ad literam prohibita ſunt, non admitterent, ut ſi hominem re ipſa non occiderent, ſi adulteriū cum alterius coniuge non cōmitterent, ſi manibus rem alterius intercipiendi cauſa nō contrectarent: ac interim non attendentes, quo animo ac uolunta-

te prędíti eſſent: cor mundũ ac alie-
num ab omni prauo affectu num
haberent, cùm ſcriptũ legitur: Lex
ſpiritualis, ego uerò carnalis. Qua
re Deũ perfectam obedientiam in
nobis requirere, ac non ſufficere
hominem non occidiſſe, ſed etiam
neceſſe eſſe non iraſci, uel odiſſe fra
trem: quod alteram maxillam eſt
præbere. Sic non ſolùm contre-
ctando furtum fieri, ſed etiam ua-
rijs dolis, ac uſurarum fraude,
proximi facultates attraxiſſe: uel il-
li neceſsitate urgente nõ ſubuenire.
Item alterius coniugem uel rem af-
fectaſſe, peccatum eſſe. Quare Chri
ſtus rectè eos ut inſtrueret quid ſit
legem adimplere, ac illam falſam
de implenda lege perſuaſionem ani
mo eximeret, hæc aptè ac cõcinnè
tradidit. Interim commonſtrãs, ut
uel

uel perfectam Deo obedientiam, quod tamen eſt impoſsibile, preſtarent: uel ſuam imbecillitatē uel impotentiam agnoſcerent, ac ſimul cū Daniele profiteri ac precari diſcerent: Ecce enim in iniquitatibus cō ceptus ſum: et cor mundum crea in me Deus, & ſpiritū rectum innoua in uiſceribus meis. Itē quid ſit, miſericordiam uolo, & nō ſacrificium. Et, Non iuſtificabitur in cōſpectu tuo omnis caro. Hinc & illorum peruerſa opinio conuincitur, qui autumant Chriſtum hoc in loco impoſsibilia tradidiſſe, ut uir quidam magnę eruditionis dixiſſe fertur: Aut hæc falſa, aut nos Chriſtianos non eſſe: non attendens miſer, quid rurſus dicat Chriſtus: Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra plusquàm Scribarum ac Pharißæorum, non

poteſtis ingredi regnùm Dei. Hæc ita admonuiſſe uolebam, quòd palàm ſit, hoc Chriſti dictum: Mutuū dantes, nihil inde ſperantes, ac cetera illius loci pręcepta, uarijs modis à prophanis hominibus illudi.

Sed & hoc ſciendum, uſuram generaliter accepto uocabulo, non tantùm mutuum reſpicere, ſed quālibet acceſsionem, ex quacunq; cauſa etiam legitima ſignificare, quod infrà ſuò loco declarabitur. Et ideò in Digeſtis inſcribitur, de uſuris & fructibus, & cauſis, ac omnibus acceſsionibus & mora. Item Codice, de uſuris ac fructibus legatorum, Item de uſuris rei iudicatæ. Et conceſſo, quòd expreſsè à Iuſtiniano prohibitæ non ſint uſuræ, attamen multo minus affirmari poteſt, permiſſas eſſe, imò nec etiam potuiſſe, cùm

cùm ſint cōtra legem Dei. Naturæ enim, inquit Accurſius, repugnat, ſeruum tollere legem domini ſui, ut habetur *in glo. auth. ad hæc. C. de uſu.* Cui ſententię adſtipulatur Dynus, Bart. Paul. de Caſt. Iaſon, cæteriq́; omnes dd. quam comprobarunt & Maximilianus & Carolus V. diui Imperatores, conſtitutione, cum omnium Ordinum totius Imperij conſenſu lata, qua omnem fœnerandi fraudem, doloſq́; ac modos nuperrimè inuectos improbarunt damnaruntq́;. Similiter & priſcum Germanorū decus, laudabili ac honeſta conſuetudine, uſuras prorſus aboleuit: nec boni uiri nomine dignum arbitrati ſunt eum, qui illas exerceret: nec ludis, qui ob militarem diſciplinam inſtituti, ac cum magno apparatu & celeberrima

pompa olim celebrati ſunt, admitti uolũerunt. Sed quò hęc uitæ morumq́ integritas abijt?

Vſuram contra naturam eſſe, & gentes docuere. Cap. IIII.

CAeterùm & gentes uſuram cõtra naturam eſſe cenſuerunt, ut nummus nummũ pariat, quod Ariſto. li. i. polit. ca. vi. docet, quòd ſcilicet fœnerãdi uſus meritò odio habeatur, utpotè quæſtum à nummo faciens, qui in eum uſum deſtinatus nõ eſt: Commutationis enim cauſa non natura, & νόμῳ id eſt, lege inductus eſt, ut medij ſeu fideiuſſoris uice fungeretur. Quod lib. v. Ethic. latiùs proſequitur. Hinc Suidas ex Ariſtophane in Nubibus ait, τόκον ſiue uſuram eſſe belluam, quæ ſemper & quaſi indies maiorẽ partum,

tum, numeroſioréue ſe ederet. Extat Plutarchi libellus περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, quo uniuerſam fœnerandi rationē damnat, quòd contra naturę regulā ſit, quæ eſt, ex nihilo nihil gigni. Nam uſus pecuniæ qui proſtituitur, in rerum natura non eſt, cùm dominiū rei mutuatę utendo conſumatur, ut Abb. *in Reg. de uſu.* docet. Quod quidem, ut refert Alciatus, in *l. uſura. ff. de uerbo. ſigni.* paupertati unicum eſt ſolatium, nempè animi ſecuritatem auferēs, quòd nondum natos fructus deuoret, quòd qui accipiunt ſub uſuris, uorſuram ex uorſura facientes, nūquam ſe extricant, ſimiles Phinei ſunt, cui Harpyiæ uictum deuorabant, quòd plurimum ex luxu æs illud alienum contrahatur. Ideò ſatius eſſe, ait Plutarchus, hæredium

quodlibet uendendum, quàm mutuò ab uſurarijs quidquã accipiendum: citius enim uſura quàm Heraclitus celeberrimus currit. Itaq; felix ille dicitur, qui nihil debet. Quid enim calamitoſius ac uiro honeſto indignius, quàm toties erubeſcere, toties perfricare faciẽ, fugitare, litigare, mentiri, diſsimulare, nunc ſupplicem agere, nunc flagitare, palàm appellari, uitiari, digito notari: breuiter, nunquam ſui iuris eſſe. Hinc Suidas admonet, qui æs alienum conflant, crebrò pudore affici, & tum rubeſcere, tum pallere oportere: Rubeſcere, cũm petunt mutuum: pallere, dum ſoluendo non ſunt, & mentiuntur, ne in ius uel neruum trahantur. Et ideò apud Perſas duo fuiſſe pecca ta refertur: primum, debere: proxi

mum,

mum, mentiri: nam ea cohærere iu dicabant, ut qui obęrati ſint, ſæpius mentiri cogãtur. Hinc quoq; ferunt, Agidem Athenienſium ducẽ adeò uſuras exoſas habuiſſe, ut omnium fœneratorum tabulas in foro concremaret, quo igne nullum unquam clarius lumen uidiſſe Ageſilaus dixit. Et Cato maior ille priſcus, in lib. de re ruſtica teſtatur, apud antiquiſsimos Romanos nullam permiſsionem, nullum modũ uſurarum fuiſſe, ac earum publica execratio punitioque. Maiores noſtri, inquit, ſic habuere, et ita in legibus poſuere, furem duplo: fœneratorem uerò quadruplo condemnari. Et Cicero lib. ij. Offi. refert, Catonem interrogatum, quid maximè expediret patrifamiliàs? reſpondit, familiã bene paſcere. Quid ſe-

eundò? negotiari. & amplius, num etiam fœnerari? Indignatus reſpõdit: quid, inquit, homines interficere? Ac ſi diceret, exercere fœnus, tã eſſe contra naturam ac deteſtãdam rem, quàm ipſum homicidiũ. Quare aptè S. Bernhardus lib. de cura rei familia. inquit: Vſura eſt latro legalis, prędicens nimirum, quod intendit rapere.

Vſuram pœnam eſſe iræ diuinæ.
Cap. V.

QVæ cùm ita ſint, & ſuprà dictum ſit, Iudæis permiſſum gentibus fœnerari: ex quo intelligitur, ære alieno ac uſuris premi, eſſe pœnam iræ diuinæ. Quod & Dauid teſtatur Pſal. cix. cùm ait de impijs: Et ſcrutetur fœnerator omnẽ

ſub-

ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius &c. Et Prouerbio, cap. xxij. Qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis. Et Deus mundum, elucceſcente uerbo, propter ingratitudinem, idololatriam, iniuſtitiam, libidines, faſtum, luxum ac omnem impietatem, uarijs pœnis ac calamitatibus affligi ſinit, tum etiam inprimis uſurarũ fraude, pleraſque Reſpubl. uexari, & paſsim ac ubique ſubditorum facultates labefactari & exugi uidemus. Sed nemo eſt qui hæc uideat, uel magni faciat: nam illi ipſi, qui magnam uim æris alieni ſub uſuris conficiunt, in hoc ſibi & Reipublicæ bene conſultum eſſe perſuaſum habent. Illi uerò uſurarij bellè ſibi cõſtare, ac inprimis Reip. prodeſſe

deſſe uideri uolunt, ſi ſummam pe-
cuniæ mutuò dederint, ex qua ma-
ximas uſuras expetãt. Hinc Eſaias
de excidio mundi & extremis tem-
poribus rectè uaticinatus eſt, cùm
inquit: Et erit, ſicut populus, ſic & ſa
cerdos: ſicut fœnerator, ſic et is qui
mutuum accipit: ſicut qui repetit,
ſic qui debet. Et Paul. 1. ad Timot.
vi. ait: Siquidem radix omnium ma
lorum ſtudium pecuniæ: nam hæc
idololatria: & ut à uero cultu di-
uino recedatur, ſemper principalis
cauſa fuit, & adhuc eſt, imò eſt i-
pſa idololatria, ut Chriſtus docet:
Nemo poteſt duobus dominis ſer-
uire, ſcilicet mammoni & Deo. Et
Paul. ad Coloſ. iij. ſimulachrorum
cultum eam appellans, ex quo non
niſi omnis generis calamitates ori-
ri certũ eſt. Quod quidẽ, proh do
lor,

lor, memoria noſtra, cum magno damno ac ſumma Reip. perturbatione nimium experti ſumus. Nam ex eo tempore, quo nota quadam ratione, mos fœnerandi in has quoque partes irrepſit, & cuilibet, quãtum libuit, ſub uſuris pecuniã conficere copia data ſit, quò cupiditati ac affectibus indulgere, genio ac libidini ſatisfacere quis poſſet, dij boni quid non moliti ſunt? quæ mala bene recondita nõ ſunt mota? quæ lites ortæ? quæ bella excitata? quis & quantus faſtus, ac luxus omni in re inſtitutus? quo tandem factum, ut nulla ſit ditio, quæ preſſuram ob id non patiatur, ſummaque rerum difficultate laboret, ære alieno ac uſuris uexetur: ut rectè Tacitus li. v. Annalium dixiſſe uideatur, Vetus urbi fœnebre malum, & ſeditio-

ditionum diſcordiarumq́ creberrima cauſa. Verùm hæc peccata noſtra tametſi meruerint, & inprimis, ut dictũ, ingratitudo erga diuinam clementiam, quæ his ultimis ac extremis tẽporibus, nos ex ſummis tenebris eripuit, ac Euangelij doctrinam purè, ineffabili miſericordia reſtitui, ac ſimul cum ea, linguarum cognitiones omnesq́; artes ad bene recteq́; inſtituendam uitam, quaſi in nouum mundum induci ac illuſtrari per pios doctiſsimosq́; uiros cõceſsit: Quantus tamen Dei uerbi, ac bonarum literarum ſtudij, quibus omnia iuſta ratione adminiſtrari poſſent, ſit contemptus, ubiq; eſt obuium, Nec interim negari poteſt, uſurarios connexionis iure eſſe organa iræ diuinæ, ac miniſtros diaboli, ut quod
ipſe

ipſi non liceat, ad hoc expediendũ illos impellat.

Prohibitionem uſurarum eſſe arctiſsimam. Cap. VI.

CVm itaque uſuræ & diuino & humano iure ſint prohibitæ, & natura eis aduerſetur, ſitque teterrima res, ut ultio iræ diuinæ, & uſurarij organa ac inſtrumenta Satanæ iuſta argumentandi ratione dici mereantur: Igitur putandum, omnes pios auidè expetere, quidnam ſit uſura, edoceri. Eorum uerò perquàm paucos eſſe, & maiorem partem non curare, uel omnino cõtemnere, uel etiamſi aliqui admiratione, tanquam alicuius rei nouæ allecti legerint, tamen abſurda id aure fieri, ut pleraque alia, quæ à ſummæ pietatis ac doctrinæ uiris

ris elucidata ſunt, iam obſoleſcere uidemus, & neminem propemodum eſſe, qui uel amplius hæc, ut primò cõtigit, miretur, uel ſummopere curet. Cùm uerò nõ dubitandum ſit, unum atque alterum fore, qui uerè Deum timeant, quibus & uera pietas curæ ſit, in illorum gratiam operæprecium eſſe duxi, definire quidnam ſit uſura, &, quod uulgo dici ſolet, quinque à centum licitè accipi poſſe, quibus in contractibus, & qua ratione hoc fieri: & id quod intereſt quid ſit, & quomodo iuſta illius ratio ineunda ſit, declarare. Poſtea de uſurariorum pœnis aliqua adijciam, quo omnes qui piè in Chriſto uiuere cupiũt, à tam enormi ac deteſtando flagitio abſtinere ac deterreri diſcant.

Hoc tamen priùs premiſſo, quòd

uſque

uſque adeò arcta ac ſtricta ſit uſurarũ prohibitio, ut nulla perſona, nec ulla cauſa ab hac exempta eſſe cẽſeatur. Nam omnes perſonas, tam Eccleſiaſticas quàm ſeculares comprehendit, *c. nec non. xiij. q. iiij.* Imò nec Iudæis etiam nunc temporis à magiſtratu permitti poſſunt, ut *c. poſt miſerabilem. ext. de uſu.* & *l. Iudæi. C. de iudi.* & *cleri.* Nec ulla eſt res adeò fauorabilis, etiamſi captiui anima redimẽda ueniret, quæ uſuram admittat, ut *c. ſuper. ext. de uſu.* Vel eleemoſynę pauperibus largiantur; ut habetur ex Auguſtini autoritate, *xiij. q. c. i.* & *ij.*

Vſura quid ſit. Cap. VII.

ET primò, quòd ad ſignificationem uocabuli attinet, uſura Latinis dicitur ab uſu, quia propter

mutuatæ pecuniæ,uſum ſolet accedere: Græcè uerò τόκος, à τίκτω, id eſt, pario,denominatur, Vnde etiã Latinis fœnus,quaſi fœtus dicitur, eo quòd nummus nummum pariat, quod contra naturam eſſe, ſuprà ex ſententia Ariſtotelis relatũ eſt. Hebræis uerò à morſu dicitur. Hinc Tigurina translatio habet,ne morſum inferas fratri tuo, fœnore pecuniæ,aut fœnore alicuius eſculenti, uel cuiuſcũq; rei,qua morderi poſsit.Alienum mordebis fœnore, fratrem aũt tuum non mordebis, ut ſecundet & fortunet te Dominus.Quare appoſitè Ioannes Chryſoſt.in Matt. cap.v.poſt ſe ſcriptũ reliquit, pecuniam ſub uſuris mutuò acceptam, ſimilem eſſe morſui Aſpidis, quo quis læſus, uti ſuaui ſomno corripitur, & uenenum latenter

tenter uitā abſumit: Sic qui ſub uſu-
ris æs alienum conficiunt, ſuaue ad
modū iſtis primò uidetur: ſed pro
greſſu temporis, uſura omnes fa-
cultates ac ſubſtantiam totam pau
latim deuorat. Pari ſchemate Bal-
dus conſi. cccxlix. Vſurarium ſimi
lem eſſe dixit uermiculo ligni, quē
Plinius lib. xvij. natu. hiſto. teredi-
nem uocat, quemq; in delitijs apud
ueteres fuiſſe ferunt, & tactu leuis
apparet, ſed dentes habet duriſsi-
mos, omne lignum rodens ac deuo
rans: Ita etiam uſurarius patrimo-
nium omne corrodit ac deuorat:
& quamuis naturaliter eueniat, ut
tandem à maioribus facinoribus
animus abhorrere incipiat, tamē in
uſurario contrariū accidit, ut quā-
to maiores uſuras percipiat, tanto
magis hoc peccandi genere delecte
tur.

Cæterùm uſura & fœnus, pro‑
priè loquendo, idem ſignificant, &
ſunt Synonyma, niſi quòd uſura la
tius patet: quia fœnus nō niſi in mu
tuo intelligitur, uſura uerò pro
qualibet acceſsione, ex quacunque
cauſa, etiam legitima, ut puta uendi
tionis, traditionis, & ſimilibus, ut
l. Iulianus §. *ex uendito. de actio. emp.*
l. curabit. l. fructus. C. *eod. l. ij.* C. *de*
uſu. Vel etiam dotis, *l. cùm post.* §.
uſuris. §. *in domum, de iu. dot.* Vel pro
pter moram in bonæ fidei iudicijs,
legatis & fideicommiſsis, *l. qui ſoli‑*
dum, de leg. ij. l. morale. de uſu. Sed hoc
largè ſumpto uocabulo, ſtrictè aūt
uel propriè pro eo quod accedit ul
tra ſortem, in mutuo, accipitur, ut
l. ſi. tibi decem, de pact.

Quod ad rem attinet, uariæ de‑
finitiones à doctoribus traditæ

ſunt.

ſunt. Et Innocentius, *in reg. de uſu*. quem ſequitur Ioan. Andre. in *c. inſtra peccatum, de ieiuni. lib. vi.* inquit: quòd uſura eſt lucrum ex mutuo pacto debitum uel exactum. Quæ definitio ea ratione impugnatur, quòd uſuræ etiam nec pacto debeantur, nec ullam obligationem preſupponant, alioqui exceptioni ſufficerent, ut *l. quamuis* §. *i. C. de uſu. l. rogaſti* § *ſi tibi. ff. ſi cer. peta.* Præterea uſurę non ſolùm pacto, ſed etiam ſola ſpe conſtitui ſolent, ut habetur *xiiij. q. iij. c. i.* Et Luc. vi. Mutuū dantes, nihil inde ſperantes. Secūdò uulgo definiri ſolet, ut quidquid accedit ſorti, eſt uſura, de qua uidetur textus, in *c. pleriq́ʒ. xiiij. q. iij.* Sed quia nimis generalis eſt, nec cū ſuo definito cōuertitur, ideo probari non poteſt. Nam non omne

quod ſorti accedit, uſuram eſſe cõſtat, hocq́; generaliter accepta uoce uſura. Sed in definitionibus uerba propriè accipi debent, quare aliqui ſubintelligi uolunt, ſorti ſcilicet mutuatæ. Azo uſuram eſſe dixit, quod pro uſu rei conceſſæ datur. Sed & hæc definitio ea ratione improbari ſolet, quòd nimis ſit generalis. Nã in locationis contractu pro uſu rei aliquid dari ſolet, quod tamen uſura dicendũ non eſt. Quare alij aliter ſemper eam definierũt, quę omnia referre, operæprecium eſſe nõ puto: ſed ea commodius ſic definiri poteſt: *Vſura eſt acceßio ſortis, quæ propter mutuò datæ rei uſum uel moram, uel alio quouis colore illicitè exigitur.*

Vſura eſt acceßio. Et in definitione, acceſsionis nomen generis loco cùm

cùm poſitum ſit, generaliter etiam intelligendum uenit, *arg. l. ſi decem. §. cùm petiero. de uerb. obli.* Vt non ſolùm pecuniam numeratā denotet, ſed etiam aliam quamuis rem, & quoduis emolumentū̃ deſignet, ut refertur *xiiij. q. iij.* ex autoritate Auguſtini in Pſal. xxxvi. cùm inquit: Si fœneraberis homini, id eſt, ſi mutuò dederis pecuniā̃ tuā̃, à quo plus quàm dediſti expectes, nō pecuniā̃ ſolū̃, ſed aliquid plus quàm dediſti, ſiue illud triticum ſit, ſiue uinū̃, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud: ſi plus quàm dediſti expectes aliquid accipere, fœnerator es. Quod & idem ſenſiſſe S. Ambroſium refertur in *c. eodem, q. iij.* Cùm expreſsè in lege diuina dictū̃ ſit: Neq; uſuram eſcarum accipias, neque omnium re-

rum. Item eſca uſura eſt, & ueſtis eſt uſura, & quodcunq; accedit ſorti, etiam aquæ hauſtus, uſura eſt, & quodcunq; nomen ei impoſueris. Nec ulla quantitatis ratio habenda, cùm in textu ſequatur: Item ſi quis inſtaurandi conuiuij cauſa, ad negotiatorem mittit, ut abſynthiaci cupellam deferat, ſibi gratis, ad cauponam, ut uinũ aut panem requirat, ad alium, ut ſibi poma adornet. Hinc in ſumma dici ſolet, quòd uſura ſit, quidquid ſorti accedit: nec etiam referre putandum, ex quo titulo ſeu cauſa, utputa ſtipulationis, ſeu promiſsionis, uel propter morám, uel eius quod interſit, uel etiam pœnam petatur, de quibus omnibus ſuis locis dicetur.

Propter mutuò datæ rei uſum.

Et quia caput ac fundamentum

uſuræ, eſt contractus mutui, cùm in eo propriè uſuram uerſari conſtet. Primò igitur declarandum uenit, quid ſit mutuum, & quæ obligationis eius natura. Et Imperator *lib. Inſti. tit. quib. mo. re contrah. obli.* mutui contractum eſſe docet, cùm illud quod numero, menſuráue cõſtat, ueluti uinum, oleum, frumentum, pecunia numerata, uel etiam æs, argentum, aurum, quas res numerando, uel metiendo, uel appendendo in hoc damus, ut accipientis fiant, ut quandoque nobis non eædem res, ſed alię eiuſdem naturę ac qualitatis reddantur. Vnde etiã mutuum appellatum, quia ita à me datur, ut ex meo tuum fiat. Verbi gratia, Petrus Martinum rogat, ut ſibi det mutuò centum aureos, uel decem modios frumenti: is amici

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

precibus obtemperat, ac eam pecuniam aut frumentum ita dat, & in Petrum transfert, ut conſumere uel in alium transferre poſsit. Et Petrus Martino non eandem rem mutuò datam, ſed eiuſdem ſpeciei, ad certum tempus reddere obligatus permanet, ex qua obligatione oritur actio, quæ certi condictio dicitur, ut habetur toto titu. *ff. ſi cert. petatur.*

Et hic contractus mutui, cûm amicitiæ cauſa ſit introductus, gratuitus eſt, ſicut & commodatum, ut habetur in glo. *xiiij. q. iij. c. i. & glo. in c. conqueſtus, ext. de uſu.* Ideo & ex propria ipſius natura uſuræ nō accedit. Quod & Pomponius Iurecon. teſtatur, de uerbo. ſignif. is inquit: Vſura pecuniæ quam percipimus,

pimus,in fructu nõ eſt, quia nõ ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa eſt, id eſt, ex noua obligatione oritur. Naturaliter enim uſuræ ex ipſa re non ſunt, ſed extrinſecus proueniunt, quandoquidem ex contractu principali non debentur, ſed opus eſt ſtipulatione, *l. iij. de uſu.* Hinc apud Ariſtophanem in Nubib. deſcribitur τόκος, (ſic enim à partu uſura dicitur, ſicut à fœtu fœnus, ut ſuprà dictum) quòd ſit bellua quæpiam, quæ proceſſu temporis, argentum ſemper numeroſiori fœtura progeneret, cùm contra naturam ſit, ut nummus nummum pariat, ſiquidem propter uſum mutuò datæ rei, ex propria contractus natura, nihil accedit. Quibus conſequens eſt:

Nec

Nec quinq; à centum mutuò datis rectè accipi poſſe. Cap. *VIII.*

VT, ecce Titius alicui centum aureos mutuò dat, & ſex ſecũdum communem conſuetudinem, uel etiam quinq;, aut unum aureum annuatim ſibi dari ſtipulatus, uel pactus ſit, uſuram eſſe, ex ſuprà dictis patet: nam ex quo conſtat, creditorem mutuò datam pecuniam, uno atq; altero anno elapſo, ad libitum, uel ex certo tempore, uel etiã caſu, quo in ſolutione uſurarum ceſſatum ſit, repetere poſſe, huicq; ſi ex pacto aliquid accedat, uſuram eſſe: & quia huiuſmodi pacta iuri contraria ſunt, non ualere, ſed inutilia, nullamq; uim habere, aperti iuris eſt, ut *l. pacta, quæ contra. C. de pact.* Sed ſi quis non uſuram,

ram, ſed annuum reditum ſiue cen-ſum appellet? Vt hodie cōmuniter fit in Inſtrumentorum confectio-nibus. Verùm non refert, quo no-mine uocetur, ſed attēdendum eſt ad effectum, an pecunia pecuniam pariat, idq́; propter mutuò dare pe cuniæ uſum, ut *d.c.plerią;*. Secus au tem ſi uera intercesſiſſet uenditio, de qua re infrà latius diſpiciendum erit. Et cūm in iudicijs bene conſti-tutis, huiuſmodi contractus uel pactiones, tanquam uſurariæ, reijci antur, & ex tabulis ſuper his confe ctis, nulla exactio detur: igitur alij modi, quibus huiuſmodi pacta il-licita ad executionem trahantur, excogitati ſunt, ut quòd contume-lioſè indignis modis, etiam illuſtri-um perſonarum famam, tum pictu ris fœdiſsimis, tum libellis, ad extre

mum

mum famoſis, lacerari ac conſpurcari quotidie uidemus. Res ſanè plena ſcandali, ac deteſtanda omnibus honeſtis uiris, uitæ decus & morum integritatem amantibus. Sed unde hæc tam inanis barbaries? nimirum ex contemptu diuini humanique iuris, honeſtatisque omnis, & ex eo, quòd nemo iuſta ratione ac iure regi uelit, ſed à ſuæ libidinis affectibus deprauatis, uelut tyranno quodam rapi malit.

Et quia in definitione ſequitur: *Vel moram*, reliquum eſt explicari.

An id quod intereſt propter moram, ſit uſura. Cap. IX.

VT ſi res mutuata, ad deſtinatum diem non reſtituatur, an illud quod interſit, rectè propter moram peti poſsit? Et in definitione cùm moræ facta ſit mentio, etiam ob eam ſorti quicquam accedere fas non eſt, cùm lata ſignificatione, id quod intereſt, uſuræ appellatione ueniat, *l. fi. quod cer. loco.* Et hoc maximè, ſi quæ cauſæ, quæ moram quoquo modo diluant, interuenerint, ut eſt impoſſibilitas uel naturæ, uel iuris, ut *l. communis. §. illud. & §. cùm quis. De uerbo. obli.* Item & difficultas hæc obligationem tametſi non impediat, *l. ij. §. ex ijs. cod.* tamen quo minus mora committatur, excuſat, ut *l. iij. §. ſi per uenditorem. ff.* de *actio. emp.* Ibi mora autem uidetur eſſe, ſi nulla difficultas uenditorem

impe-

impediat, quo minus traderet, & hoc ſiue in iudicijs, *l. ij. §. ſi qui in iu-dicio. ff. ſi quis caut.* Siue coram arbi-tris. *l. apud Celſum §. ſi in arbitrum. de doli excep.* Siue in contractibus, *l. fi. §. pe. Ad legem Ro. de tactu.* Siue in ultimis uoluntatibus, *l. cum res. § pe. de legib.* Siue ſimplex promiſsio ſit, ſiue iurata, *l. fi. ff. qui ſat. cog.* Siue etiam generalis, *d. l. ij.* Siue obliga-tio ſit facti, ſiue certæ ſpeciei. Et ut Salice. Fulg. Ponta. Paul. Deci. uo-lunt, idem etiam ſi de genere dan-do agatur, *arg. l. iiij. §. fi. de actio. emp. & l. quod te. Si cert. pet.* Et quia hoc regulare eſt, ut mora difficultati ce-dat, *l. ſciendum, de uſu.* Sciendum, in-quit Vlpianus, eſt, non omne quod differendi cauſa, optima ratione fi-at, moræ adnumerandū. Quapro-pter & paupertas in pleriſq; caſi-bus

bus illam excuſat, *l. ſi procuratorem, §. pe. ff. manda. c. ex ratione. de appel.* Quæ omnia hic referre longum fo ret, & alienum à noſtro inſtituto, nec facilè, hac in re, doctrina certa tradi poteſt, ut Marcellus teſtatur in *l. mora. ff. de uſu.* inquit: Aut mora facta intelligatur, neq; conſtitutio ne ulla, neq; Iuris autorum quæſtio ne decidi poſſe, cùm ſit magis facti quàm Iuris quæſtio, & ut plurimũ ab arbitrio boni uiri dependeat. *l. i. de iur. delibe.* Illud ſanè conſtat in fo ro animæ, quo mitius agitur, facilè excuſationi locum eſſe, *c. cùm tu. de uſu.* Et Deus iuſsit, Nõ urgebis tan quam exactor. Item, unuſquiſque non coanguſtabit proximum ſuũ, Eccle. xvi. Omnia ad normã Chri ſtianæ charitatis redigenda ſunt. Ex quo intelligitur, eos omnium

perditiſsimè agere, & archidaniſtas uel ſoporatores eſſe peſsimos, qui ab indigentibus debitoribus omne damnum, uel id quod illorũ interſit etiam ob minimam morã, ſine omni exceptione extorquere non uerentur. Et hoc etiam nonnũquam ad illorum nutum, quanti ſint æſtimaturi, pendi ſibi adſtipulantur, ac nullo Iuris æquitatiſque remedio inniti ſe uelle, tabulis cautùm eſſe uolunt.

Et cùm omnes pij, honeſtiq; uiri, maximè Iuris ſcientiæ dediti, huiuſmodi pactiones, cõtra Iuris æquitatiſque normam eſſe doceant, nullamq; uim habere, ſed de facto confici, & ſeruari, ut pleraque alia facinora præter ius & æquum perpetrantur, hos indigniſsimis modis inſectantur, & tanquam perturbatores

tores Rerumpub. ne pacta ſeruentur, autores eſſe affirmant, contumelijſque iniuſtè afficiunt. Quare rectè Prouerb. ſcriptum legitur: Abominantur impij eos, qui recta ſunt uia. Sed cùm Deus mundum propter iniuſtitiam, idololatriã ac auaritiam ſemper affligi permiſerit, ac Iudaicum populum abduci uoluerit, ut Eſai. i. Ieremi. vij. Et quia à minimo uſque ad maximum, omnes auaritiam ſequuntur, Ideo illi ipſi uſurarij uiderint, an ne autores calamitatum, uiolatores iuſtitiæ, perturbatores publicæ tranquillitatis ſint, nec ne, & Deus, qui iuſtus eſt, ſuo tempore iudicabit. Quibus uerò caſibus, nomine illius quod intereſt, ritè ac illæſa conſcientia quid

accipi poſsit, infrà ſuo loco declarabitur.

Vel quouis alio colore. Vſq; adeò peruerſa eſt hominis natura, ut nõ ſolùm peccare, uoluntati Dei, ipſiusq́ uerbo reſiſtere libeat, ſed etiam prætextum ſeu cauſas malefactorum quęrere, ſummo ſtudio conetur: ac interim rectè facere uideri uolunt ij, qui omnia proteruè ac peruerſè agunt, ut in Herode, cæterisq; hypocritis factum fuiſſe uidemus, quos meritò Chriſtus uulpes, ſepulchra mortuorum, ac Paulus parietes dealbatos uocat. Ita etiam auari, alienis bonis ac fortunis inhiantes, ne uſurarij eſſe uideãtur, uarios ac infinitos contractus, qui honeſti ſpeciem præ ſe ferre uidentur, ſimulant, ut ſub illorum prætextu, impunè ac ſine famæ diſpendio.

dio uſurã exercere queãt. Cuius rei aliquot ſpecies, quæ dignum habent tractatum, & in Iure certiſsimam determinationem, ordine referemus, ex quibus facilè cæteræ, ſi quæ ſe offerunt, ex rationis identitate iudicari poſſunt. Hoc tamen non omiſſo, quod in definitione etiam poſitum ſit: Illicitè igitur id eſſe factum, ad differentiam earum rerum, quæ ſorti licitè accedere poſſunt. Et quæ huiuſmodi ſint, & in quibus contractibus hoc fieri poſſit, ac quomodo, infrà ſuo loco ac ordine referemus.

Vendens carius iuſto precio, quòd eius ſolutio differatur, uſuram cõmittit. Cap. X.

VT ecce, carius uendens, ob id, quòd emptor paratam nõ

habeat pecuniam, ſed ad tempus determinatum ſe ſoluturum conſtituit: & tametſi hic cõtractus, ſui natura uſurarius nõ ſit, cùm uſura propriè in mutuo uerſetur, tamen nõ tã cõtractus forma, quàm mens fraudandi, & ex temporis fluxu lucrum faciendi attenditur, cùm plus ualeat, qđ in ueritate agitur, quàm quod ſimulatè cõcipitur, ut C. *plus ualet quod agit. per ti.* & ideò hunc cõtractũ uſurarium eſſe patet, ut per textum clarum in *c. conſuluit, ext. de uſu.* Quod tamen limitandũ aiunt ſcribentes, niſi dubium ſit, tempore et inprimis ſolutionis, ualorem rei uariari & pluris æſtimari, & uenditor ſibi merces reſeruaſſe maluiſſet. Nam his duobus concurrentibus, excuſationẽ mereri uenditorẽ tradunt, ut habetur *c. in ciuitate. & ibi Abb.*

Abb.ext.de uſu. Sed tutius eſt, propter conſcientiæ ſcrupulũ, ut quis ab hac fraudandi ſpecie ſe eximat. Et quod dicitur, iure permiſſum in contractu emptionis, ſe inuicem cõtrahentes decipere poſſe, modò nõ excedat dimidiam partem iuſti precij, ut *l. in cauſæ. §. idẽ Pomponius. ff. de iuniorib. l. ij. C. de rei uendi.* & hoc propter frequentem ipſius cõtractus uſum, alioqui frequẽter uẽditiones factæ ſubuerterentur. Sed hoc intelligendũ, quãdo ſit cõuentũ de ipſa rei æſtimatione, nõ aũt quãdo carius licitetur, propter temporis prorogationẽ, quia tũ non quid res ualeat, ſed quòd precij ſolutio differt, in ratione haberi uidet. Preterea et ſuprà ſcripta locũ habere inquit Bal. in his, quę numero, pondere, mẽſuráue cõſiſtunt, quę propriè

in mutuo uerſari ſolent, non autem in fundo, domo, aut alia re, ex qua interim emptor fructus, uel aliam utilitatem percipit, & hoc *per l. cu rabit. C. de actio. empt.*

Donum extorquens, ut ſolutionis terminus prorogetur, uſuram committit. Cap. XI.

RVrſus & in eo, qui amico mutuò dat pecuniam, & debitorem ſibi iuramento adſtrictum reddit, ut ad certum diem concreditū reſtituat: quo aduenientе, pecuniā cōficere cùm nequeat, orat ſibi longiorem prorogari terminum, ne in periurij pœnam incurrat. Verùm creditor ſe exorari nō ſinit, & uehementius inſtare pergit, ut aliquod donatiuum ab ipſo extorquere poſſit: Et quodcunq; illud iam ſit, etiā

minima

minima quędam commoditas, uſuram eſſe liquet, ut habetur *in d. c. conſuluit. in prin.* Hinc & apparet, magis improbè ac impudenter facere illos, qui nūc temporis in uſu habent, ut, cùm mutuò data pecunia ſub uſuris, ad deſtinatam diem non reſtituitur, uehementiſsimè inſtent ac urgeant inprimis, nec ulla dilatio uel prorogatio termini ab ijs impetrari poſsit, quin honorarij loco, uel ducentorum aureorum munus extorqueant, & inſuper ſerica ueſte, uel equo magni precij donentur. Et qui ita ſuis rebus conſulere poſſunt, ij maximè ſtrenui, & perſpicaces habentur: uerùm hi ſunt, de quibus Chriſtus docet, Filios huius mundi prudentiores eſſe filijs lucis: interim tamen cōtemptores diuinæ iuſsionis, ut, Non urge.

bis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes. Item, Mutuũ dantes,& nihil inde ſperantes,&c.

Mutuum dans, ſub remunerationis ſpe, uſura eſt. Cap. XII.

HInc & eum pro uſurario haberi, deciſum extat, qui gratis mutuò rem dederit, etſi nullo, de aliquo commodo, interueniente pacto, uel ſtipulatione actum ſit, ſed ſola ſpe ductus, non uſq; adeò illiberalem fore debitorem, quin remunerandi cauſa aliquid daturus facturúſue in illius gratiam ſit, opinetur: ut de doctore dici ſolet, qui ſcholari pecuniam crediderat, ea ſpe, ut illius lectionem ſit auditurus, ut *in d. c. conſuluit. in fi. iuncta glo. de uſu.* Quod tamen non intelligendum de eo, qui libera quadã uolun

tate

tate & mente illæſa,nullaq́; ſpe du-ctus,amico crediderit, & ſi benefi-cium aliquod rurſus in ipſum col-latum fuerit, à fœnoris fraude im-munem eſſe proditum eſt: Cùm il-lud quod naturaliter ſibi quodam modo, Iure remunerationis debi-tum erat, recipit, ut hæc *per glo. in d. c. conſuluit. in uerbo, ſperantes.* Et quia hic caſus, ex ſola credentis mẽ-te, quæ an pura & libera ſit, ab o-mni uſurarum prauitate dependet, ideò ad reſtitutionem uſurarum ita ut in cæteris caſibus Iure cõpel-li non poſſe, docet Baldus *in Rub. de uſu.*

Fructus rei pignoratæ, ſunt uſura.
Cap. XIII.

SAnè uſque adeò omnis ac-ceſsio rei mutuatæ legibus

eſt

eſt improbata, ut nec in pignoribus quidem locũ habeat, ut ſi conuentum fuerit, creditorem fructus rei pignoratæ lucrari debere, & hoc pactum tanquam improbum Iuſtinia. etiam ſub pœna inhibuit, *ut l. eos.* C.*de uſu.* Nam cùm fructus recipiant æſtimationem, accedere ſorti ex præcedente pacto uidentur, ut *c.i. cum c.ſeq. ext. de uſu.* & ideò fructus ex pignore percepti ſortem extenuant, ut *l. i. & ij.* C.*de pact. pig. l. iij. c. ex quib. cau. pig. non contrab.* Quod etiam intelligendum de minimis, ut ſcilicet arborum fructibus: idem in uſu ædium & alijs rebus, ut per *Abb. d. c. i.* Nã quanti elocari ſolitæ erant, ſortem extenuant, nec refert etiamſi uenditionis in inſtrumento facta ſit mentio, quoniam illa uerba: uendendo

penſio.

penſionem ſuper tali fundo, nudũ pignus conſtituunt, *l. fundus, quem de annu. leg. ubi Bart. l. pen. §. inſtitu. de lega. ij.* Et eſt textus in *l. iij. C. plus ua. quod agi. quàm quod ſimu. conci.* ubi inquit Imperator: emptione pignoris cauſa facta, non quid, ſed quod geſtũ eſt inſpicitur. Vnde uidetur, talibus uerbis non res aliquas uendi, ſed creditori ius perſonale cõſtitui, cui accedat fundi hypotheca, in quo contractu omnis prohibitæ uſuræ ratio locum habet, ex regula communi, ut quicquid accedat ſorti, uſuram eſſe, ut *d. c. plerique.* Nec multum refert, an quandocunque ſe liberare debitor, ſortis reſtitutione, poſsit, an non, niſi poſt aliquod tempus, *c. ad noſtram. ext. de emp. & uendi.* an uerò nunquam. *Paul. de Caſt. l. item §. quia. de pact.*

Semper

Semper enim ſubeſt auaritiæ ſuſpicio. Quæ tamen omnia locum non habent in marito recipientē pignus pro dote. Nam illi propter onera matrimonij & dotis fauorē, fructus rei pignoratæ cedunt, ut c. *ſalubriter. ext. eo.* Item in domino, cui res feudalis pignorata eſt, ut habetur in c. *conqueſtus, eo. c. i. de feu.* Cuius rei illa aſsignari ſolet ratio, quòd Vaſallus utiliter tamen ſit dominus, directum uerò dominium apud concedentem feudum maneat. *c. i. §. i. & ibi Aluarot. de leg. Cor.* Et quia quælibet res facilè ad naturam ſuam reuertitur, *l. ſi unus. §. pactus. ff. de pact. l. ſuper quæſtionum. §. porrò. de offi. dele.* Quod etiam quidam ad Emphyteoſin ac uſufructū extendi poſſe arbitrantur, ut per Hoſti. in ſumma *de uſu. Alex. c. vi. iiij.*

*viij.uol.*qua tamen de re,& in quibus caſibus, penſionum emptiones locum habeant, infrà ſuo loco latius dicetur.

Mutuò dans rem, ut meliorem conſequatur, uſuram facit. Cap. *XIIII.*

CAeterùm & eum uſurariū eſſe, ſine omni dubio conſtat, qui hoc agit, ut res uel ſpecies bonitate ſuperans eam, quæ mutuò data ſit, reddatur: ut ſi uinum fugiens datū ſit, & proximis uindemijs nouum aut ſuaue pro acido reddi conuentum ſit, ut *c. uigilanti. de uſu.* ibique per Abb. Quod & idē in pecunia ſignata dicendum eſt, ut ſi centum aureorū groſſos, quorum 39. aureum nummū cōficiunt, crediderim, & mihi reddi, uel in creditum iri uelim ad rationē, qua 23. adæquātur.

Cùm

Cùm enim materia ſeu bonitas interior adaucta ſit, dubium non eſt, ſorti aliquid accedere. Et ideo eius æſtimationis, quæ tempore contractus fuit, reddi æquum eſt, ut *c. uigilant. ext. de cenſib.* Si uerò bonitas interior non adaugeatur, ſed ualor monetæ uel frumenti, alteriusue ſpeciei, fluxu temporis uel autoritate publica creſcat, ſecus eſt. Vt ſi tempore dati mutuò frumenti modius duobus æſtimabitur aureis: tempore uerò quo redditur, tribus, cũ extrinſecus id accedat, & de hac re nec cogitatum fuit, ſine uſurarũ labe hoc lucrũ creditori cedere fas eſt. *l. cùm quid. ſi cer. peta.* Sicut è contrario eius damno caderet, ſi diminuta æſtimatio foret, ut *l. uinũ, eod. l. cùm certum, & ibi Bart. de aur. & arg.*

Variæ

Variæ uſurarum fraudes, hodierno tempore excogitatæ. Cap. XV.

QVia certum eſt, mũdum ſemper in peius ruere, ac indies magis magiſque uitia adaugeri, ac tandem abundaturam iniquitatem Chriſtus prædixit Matt. 24. de extremis temporibus prędicans: ideo mirum uideri non debet, uarias ac nefandas uſurarum fraudes noſtro tempore, in hac mundi ſenecta excogitatas eſſe, quo factum eſt, ut miro quodam aſtu ac dolis plerǫ; Reſpub. & uiri præſtantes, in infinitas rerum difficultates, coniecti ſint, ut omnibus bonis fortuniſque quaſi exuti eſſe uideantur, nullaque ſit ditio, quæ preſſuram ob id non patiatur.

Nimirum cũm octingenta au-

reos crediderint uel mutuò dede-
rint,aliqui ſibi mille addici procu-
rent, idque honorarij uel ſtipendij
loco.

Item aliqui equos, pannum,
lardum gemmas, & ſi quę aliæ res,
pro duplo maiori precio, emptio-
nis nomine protrudunt, ac ſic ex
parua aliqua ſumma concredita,in
gentem conficiunt.

Item aliqui argenteam pecuniã
tantùm dãt mutuò,& in obligatio-
num tabulis, aurum ſe dediſſe ad-
ſcribi procurant.

Item pleriq; ſummam pecuniæ
mutuò dant gratis,ſed ea conditio-
ne,ut debitor illis aliquot merces,
uili admodum precio, uenditionis
nomine tradat.

Item nonnulli ea conditione ac
pacto pecuniam ſuam in creditum
dant,

dant, ut debitor quaternis menſi-bus pecuniæ ſummam, adhibito colore pendat, quæ aliquando ui-geſimam uſuram, & ultrà, efficit. Item aliqui, ut moris eſt in aliqui-bus ciuitatibus, quæ præclaram Remp. ſe tenere perſuaſum habẽt, pecuniã ſuã egenis mercatoribus libenter quidem exponunt, ſed hac lege, ut illi qui acceperint eam, co-gantur apud tabellionem eius rei prefectum profiteri, ſe has quas cõ-pararunt merces ab eo qui pecuni am concredidit, certo precio emiſ-ſe: ac ſe conſtituere, elapſo anno tantam pecuniæ ſummam ſolutu-ros, quæ longè maior eſt, quàm il-lis miſeris mercatoribus dederint, pulchrè ſibi perſuaſum habẽtes, eo modo deo fucũ fieri poſſe, ſecundũ illud Poëtæ dictum: Da nobis fal-

ſere, Da rectum iuſtúmque uideri. O ſcelus, ô uitium, quod uel Turcæ, uel Muſcobitæ tandem expiabunt. Porrò & ſi qui alij modi noſtris temporibus, in uſurarum fraudem excogitati, omnes à Carolo V. Romano. Imperatore, conſtitutione lata, omnium ordinum conſenſu, improbati ſunt. Nam illos contra Iuris æquitatisq; normam eſſe, ex his quę ſuprà ſunt dicta, ſatis patet.

Pœna an ſit uſura. Cap XVI.

SEd ardua eſt quæſtio, num pœna rei mutuatæ adiecta, ſit uſura? Et omiſſo omni circuitu dicendum eſt, quòd ſit. Quoniam appellatione pœnæ, lata ſignificatione uſuram contineri, certum eſt, ut *l. qui ſine, de nego. geſt.* ſicut et id quod

in

intereſt, *l. fi. ff. quod cer. lo.* Vnde quod de uſura in lege prohibitum eſt, etiam in pœna ſibi locum uendicat, *glo. l. Iulianus. §. idem Papinianus. de actio. emp.* Cùm ſcilicet eadem prohibitionis ſit ratio, ut quia pœna dationi quantitatis adiecta ſit, *glo. l. cùm alleg as. C. de uſu. Alex. l. v. in fi. de uerb. obli.* Et tametſi propriè loquendo, aliud pœna, aliud uſura ſit, quia illa ex euentu conditionis & eo colore debetur, quòd obſeruata non ſit promiſsio: hæc uerò, quia debitor pecunia utatur. Rei enim ipſius fructus cenſentur, *l. uſuræ. ff. de uſu.* Preterea uſura quãtitatibus accedit, quia illarum ut plurimum in uſu eſt utilitas, pœna uerò ſpeciebus, uel factis adijcitur, *l. in fideicommiſſ. in fi. de uſu.* Sic uſura unà cum re principali non debe-

tur,quia non loco rei,ſed ipſius tẽporarij uſus accedit,quod in pœna regulariter ſecus eſt, *l.reſcriptum.* §. *ſi pacto. ff. de pact.* Vnde quandoque ex eodem contractu, utrunque petitur,& pœna & uſura, *l. Lucius. de actio. emp.* Sed & Bart. ait: pœnam eſſe, quæ unico actu pro toto tempore,ſtipulationi adijci conſueuit, uſuram uerò multiplicatione temporum creſcere. *l. traiectiue.de actio.& obliga.*

Verùm cùm uſuræ hodie de Chriſtiana Repub. prorſus eiectæ ſint, non tam ad uocis ſignificationem attendendum eſt, ne legi ſub nomine pœnæ,uel alio fuco fraus fiat, *c. ſuam.ext.de uſu.* Et ut Propheta Eſai. cap.xxxiij.monet. Qui ambulat in iuſtitijs,& loquitur ueritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia etc.

Nam

Nam eam,quæ uel nomine pœnę, uel ob id quod interſit,exigitur, & faſtuoſè & calumnioſè plerunq; peti uidemus. Quibus tamē caſibus pœnę locus ſit,ac id quod intereſt, licitè peti poſsit,infrà ſuo loco tractabitur.

An obſides pro re mutuata dari acceptariue poßint. Cap. XVII.

SEd quid dicendum de ea conuentione ſeu pœna, quæ hoc tempore maximè eſt in uſu, quòd debitores ac illorum fideiuſſores ea lege ſuam aſtringere fidem,ac creditores acceptare non uerentur, ut ni pecunia mutuò data,ſtatuta die, cum uſuris ritè ſoluatur, diuerſorium publicum, cum binis aut ternis equis famuliſque intrare, nec exire uelint, quin omne æs concreditum, cum eo quod interſit,

depenſum fuerit : hæc legitima ſit nec ne?

Et ſanè primo intuitu uídetur eſſe, & hoc per textum in *c. ex reſcripto. ext. de Iureiu.* ubi habetur, Monachos pro ſumma 8000. ſolidorum, obſides datos, & in obſtaio permanere iubentur: et ſi deficerēt, alios eorum loco ſubrogari debere, donec conuenta ſeruentur. Et ratio eſt euidens, quòd ex conuentione, contractus legem accipiant. *l. contract. ff. de re iudi. l. i. §. ſi conuenerit. & §. ſæpè. ff. depoſi.* Nec huic obſtat quod dicitur, filios, uel liberos homines, pro debito pecuniario, hypothecæ loco dari non poſſe, *l. qui filios. C. quæ res pig. oblig. non poß.* Nec multo minus, tanquam obſides detineri oportere, cùm illorum ſtatũ diminui certum ſit, uſq; adeò

adeò ut nec teſtari quidem eos ſi- ne principis licentia permiſſum ſit. *l. obſides.ff.de teſti.* Et in cauſa publica tametſi eos dari liceat, ut per Bart. *l. infantem.ff.de pub. Iudi.* In priuatorum tamen minimè, *l. ob æs alienum.C.de actio. & obliga.* Sed ad hæc reſpondetur, liberi quidem hominis obligationem inter priuatos fieri non poſſe, ut ius in eo conſtituatur tanquam in pignore, uel tanquam obſes detineatur, ſed tum ex certo quodam loco non diſceſſurum, niſi hoc uel illud factum fuerit (ſine ſtatus tamen diminutione) obligare ſe poſſe, non iniqua ratione dici poteſt, ut *d. c. ex reſcripto.* Quod & comprobatur eo argumento, quòd debitorem fugientē, etiam non expectata iudicis licentia, capere liceat, ut *l. ait prætor* §. *ſi*

debitorem. ff. de his qui in frau. cred. Et ibi notatur per Bart. idq́; etiam die feriata in honorem Dei, ut *c. ſignificauerunt. ext. de iudi.* notat. *glo. in dies feſtos. de fer.* Ideò iura in contrarium allegata, tanquam in diuerſa ſpecie facti, ſibi locum non uendicant, cùm in uſu non ſit, debitores ſeu eorum fideiuſſores inuitos tanquam obſides detineri: ſed ultrò ex diuerſorio non receſſuros fidem dare, illorumque ſtatum ob id non mutari, minimè dicendum.

Sed uerendum, ne hæc adſertio ſat firmis rationibus iureque ſubſiſtat. Et ideò monendi omnes pij ac bonæ mentes, morum decus ac ueritatem amantes, ne hac in re fucum ſibi fieri permittant, ac certum ſibi perſuaſum habeant, hanc

pœnam

pœnam ſeu coarctionis modum, iure comprobatum non eſſe, & hoc per tex. *d.c.qui filios*. C.*quæ res pig.oblig.poſſ.* & *l. æs alienum*.C. *de actio.* & *obli.* §. *quia uerò. In auth.ut nulli iudicum*. Vbi habetur, ut qui filios debitorum pignoris loco recipiunt, à credito cadant, & tantidem debitori ſoluere debeant, & uerberibus cædi, & relegationis pœnã mereri, ut *l. fi.ff.quæ res pig. oblig.poſſ*. Et quòd liberi homines, pro re pecuniaria, nec obſides dari, nec ſe eo modo obligare poſſint, affirmat glo.*in l.ij.* C. *qui filios diſtr*. Idem tenet Azo, in tit. *de teſt*. Refert & ſequitur Abb. *in d.c. ex reſcripto*. Et hoc etiamſi obſignatio ſimpliciter facta ſit, non recedere de certo loco, donec hoc uel

illud

illud ſactum ſolutúmue fuerit, quià nihilominus quandam ſeruitutis ſpeciem præ ſe ferre uidetur, ac contra naturalem libertatem eſſe. Hinc iure cautum, ne quis præciſè ad factum obligetur, ſed ſoluendo id quod intereſt, liberari, *l. ſtipulationes. § non diuiduntur, de uerbo. obli. l. ſi quis ab aliquo, ff. de re iud. l. cùm tale, ff. de condit. & demonſt.* Ideò fortius dicendum, in terminis quæſtionis propoſitæ, ut non ualeat obligatio, quatenus teneatur morari et non diſcedere de certo loco, cùm inſtar priuati carceris ſe habeat. Sed arrogantiam priuati carceris, tanquam nefandiſsimorum hominum, ac ipſius maieſtatis uiolatores Seno Imperator repreſsit, ultimoq; ſupplicio ſubiugandos ſanciuit, ut *l. i. C. de priua. car.* Et carcer

non

non ſolùm ſpecus ſiue locus angu-
ſtus dici ſolet, ſed etiam ciuitas, ut
Ange. *in l. ſi à bonæ fidei. ff. de rei uen
di.* docet. Nec referre putandũ, eti-
amſi omni iuris beneficio uel pri-
uilegio renunciatum fuerit, cùm
conſtat legi prohibitiuæ renuncia
ri non poſſe. *l. 1. C. ne fideiuſſo. dot.
dent.* Inſuper huiuſmodi pacta ui-
dentur dare iuriſdictionem homi-
ni priuato, ſed neminem in ſua pro
pria cauſa iudicem eſſe oportere, le
gibus cautum eſt, *l. 1. C. ne quis in ſua
cauſa iudi. uel ius ſibi di.* Ideò non fe-
rendum à quolibet magiſtratu, qui
iuriſdictioni præeſt, hanc ſibi po-
teſtatem priuatum hominem, in cõ
temptum ſuæ maieſtatis, arrogare,
Cùm & indies experiuntur, in quas
difficultates & quaſi inextricabiles,
ſubditi per huiuſmodi pacta conij-
ciantur,

ciantur, & quantum illis poſtea negotij faceſſant, ubi ad ordinariũ iudicium res deducta fuerit. Ad hęc manifeſtum eſt, huiuſmodi pacta ſeu pœnam non niſi uſurarijs contractibus adijci ſolere, & quemadmodum huiuſmodi contractus ipſo iure reprobati ſunt, nulliuſque momenti eſſe conſtat, ita etiam nec pacta illis adiecta, ex regula communi, Acceſſorium ſequi naturam ſui principalis. *c. acceſſorium. de reg. iu. in vi.* Item alia, cùm principalis cauſa non conſiſtat, nec ea quidem quę ſequuntur locum habent, *l. cùm principalis. ff. de reg. iu. l. nihil dolo. §. principalis. eo.*

Ad iura ac rationes in contrarium adductas, facilis eſt reſponſio; Et primò, ad *c. ex reſcripto.* reſpondetur ex mente glo. *d. l. ij. C. qui fil.* *diſtrax.*

diſtr. ibi narrari factum, nõ autem idipſum comprobari: & quia interuenit iuramentum, ideò Monachi in obſtaio manere, ne in pœnam periurij incidant, iubentur. Et hæc fuit ratio ſeu cauſa decidendi. Præterea *d.c.* loquitur in Monachis qui ſerui ſunt quodãmodo monaſterij, & ſic non ſui iuris, ideo rationes de libertatis amiſsione in eorum perſonis ſibi locum nõ uendicant, cùm priuatio prę ſupponit habitũ, *l. decem. de uerb. oblig.* Ad hæc etiam perpendendũ uenit & illud, quod in terminis *d.c. ex reſcripto*, agitur de fauore publico, ac totius monaſterij utilitate, et ſic militat in hac ſpecie facti ea ratio, qua obſides dari ſolere in cauſis publicis iure promiſſum eſt, ut per Bal. & Saly. in *d.l.*
ob æs.

ob æs.C.de obli.& acti. Nec rurſus obſtat ex conuentione, contractus legem accipere: Verùm modò non ſint contra ipſum ius conſtitutiones que, uel contra bonos mores, quia tunc nullam habere uim, indubitati iuris eſt, ut *d.l.pacta quæ cõtra. C. de pact.* Cæterùm nihil quicquã facit debitorẽ fugientem, etiam nõ expectata iudicis licentia, capere licere. Sed hoc eo caſu permiſſum, quo debitorem cõſtat eſſe in fuga, & ſi periculum ſit in mora, cuius cauſa in multis alijs caſibus, ut à regula communi diſcedatur manifeſtum eſt, *arg.l.ſolet.ff.de fe.& dilat.* & per Bart. *in l.ait prætor.§.ſi debitorem ff.qui in frau.cre.* Ad hæc nõ permittitur creditori, ut deprehenſum in fuga debitorem retineat, ſed ad iudicem eum deducere oporte-

re,

re, iure cautum eſt, ut *l. generaliter. C. decurio. Inſt. de actio. in prin.* ubi notatur, in uerbo, iudicio. Poſtremò, quòd dictum, ultrò ex diuerſorio nõ recedere, fides cùm data ſit, ideò tanquam obſides inuitos non detineri, ſed quemlibet fauori ſuo renunciare poſſe, regula Iuris antiqua eſt, *l. ſi quis. l. in conſcribendo. C. de pact.*

Verùm cùm huiuſmodi obligationes ſeruitutis quandã ſpeciem, item priuati carceris ac præreptæ Iuriſdictionis temeritatem præ ſe ferant, ſintq́; contra bonos mores, ac ijs qui Iuriſdictioni præſunt, magno præiudicio, ac ob id prohibitæ, ut ſuprà dictum, Ideò nec his tanquam iuri publico renunciari poſſe conſtat, ut *l. i. C. ne fideiuſ. dodentur. arg. l. alia. §. eleganter. ff. ſolu.*

matri. & eſt theorica Bartoli *in d.l. in conſcribendo.* ubi inquit: Siquidem renunciatio reſpicit utilitatem priuatam, ſimul ac publicam, ita ut ſeparari non poſsit, prorſus non ualere, ut *l. de die. de pact. dota. l. i. ff. ſolu. matri. l. ij. §. ſed quia uceremur. C. de iura. calum.* hoc etiam amplius, ut ſi utilitatem priuatam tantùm reſpicerent, cùm tamen contra bonos mores, & ad delinquendum cauſam præbeant, eamque maximè inuoluant, iudiciſque interſit, ideò non cenſendum, ſublata una ratione, cæteras quoque tolli. *§. affinitatis. Inſtit. de nup.* Et cùm ſanè conſtet, obligationes propoſitæ quæſtionis, ab uſurarijs manifeſtis & excogitatas & introductas eſſe, ut à miſeris debitoribus

toribus ipſorumque fideiuſſori-
bus tanquam in carcerem conie-
ctis non ſolùm æs alienum, cum
uſuris conſequantur, ſed totam i-
pſorum ſubſtantiā expilent. Quòd
nunc damnum, ob leuiſsimam
moram, nunc quod interſit ex ua-
rijs cauſis prætendant, & tan-
dem ſi aliud nihil, ſaltem dona-
tiuum; puta ſummam pecuniæ,
uel ſericam ueſtem, uel equum ma-
gni precij, extorqueant. Quod
ſanè ab ijs, qui præſunt, mini-
mè ferendum, ut hanc quaſi ty-
rannidem, propria autoritate ſi-
bi uendicent uſurarij, cùm non
ſolùm in ſubditorū detrimentum,
ſed etiam ad totius Reipubl. ac
maieſtatis contemptum, hæc res
pertineat. Sed hæc tolerantur,

& ad hæc conniuetur, cuius rei alia ratio eſſe nequit, niſi ut mundus egregiè ac omni genere calamitatū propter peccata affligatur, ac ab ipſis uſurarijs, raptoribus, ac auaris, quibus nihil ſceleſtius inueniri poſsit, ut Eccle. x. Quiſque uexetur iniuria, ac contumelijs afficiatur: & iam iniquitatem ſuperabundare, ac charitatem refrigeſcere indies experimur.

DE

DE VSVRIS, LIBER SECVNDVS.

Mutuò non facilè dandum, nec accipiendum eſſe. Cap. I.

SED HIC INSVRgit danyſtarum ſeu uſurariorum colluuies, ac malorũ omnium ſentina, & exclamabit, quòd ſi diuini præcepti ac poſitiui iuris rigor ita ſeruari deberet, fore, ut nullius neceſsitatis tempore, argentũ conficere quis poſsit, cũ nemo ſit, qui gratis ſuam pecuniam facilè credat: & inſuper, ut omnis commerciorum uſus & augendæ rei familiaris facultas tollatur, & ad aratrum quiuis redigatur. Verùm contra hæc perpendendum illud, quod diuina uox monet: Tu autem à nemine

mutuum accipias. Ex quo intelligitur, errare eos, qui non contenti ſua ſorte, & uel luxui, uel rei illicitæ dediti multa conficiunt nomina. Sed & multò magis peccare eos, qui uel ſtudio auaritiæ, uel leuitate ducti, facilè etiam in uſus turpiſsimos, graues & perniciosſos Reipubl. concredant, propemodum non ignari, debitorem ſoluendo non fore, & pecuniam concreditam, non niſi cum ſumma difficultate repeti poſſe, utpote ni uel illi, qui fidem dederint, uel ſubditi miſeris modis uexentur, (in qua re non ſolum lucrum, ſed & pulchritudo quædam ineſſe, & ad famam & gloriam comparandam prodeſſe putatur.) Quod potiſsimùm ex eo

naſci

naſci uidetur, quòd pulchrius ac ſatius ducatur, alienis inhiare bonis, ac aſtu, dolis, fraude, iniurijs ac tyrannide decus ac opes, quàm uera uirtute, ueroque labore comparari. Sed meminiſſe oportuit Prophetæ dictum, Aba. i. qui inquit: Væ qui multiplicat non ſua, & qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali. Item: Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat urbem in iniquitate. Et Paulus i. ad Tim. v. ſummè cauendum eſſe docet, ne oneretur Eccleſia, ſed quemlibet ſua ſorte contentum eſſe debere. Et quòd mutuũ non facilè dandum nec accipiendum ſit, patet etiam ex eo quòd ſeptimo quoque

anno iuſſa eſt à Deo remiſsio, ut quicquid eo adueniente mutuum erat reliquum, liberum atque donatũ erat fratri, ut Exo. ca. xv. Cuius ratio hæc potiſsima fuiſſe aſsignatur, ut tandem litiũ eſſet finis, ac ſimul cauti eſſe cogerẽtur, ne facilè eam pecuniæ ſummam mutuò darent, quam ante ſeptimum annum poſſe reddi deſperarent. Nec ſic tandem liceret prodigis ac perditis hominibus inhiare alienis opibus, per debita ac pacta cumulatis, nec multo minus, ut ex uſuris lucrũ quis faciat: Sed indigentibus tamen mutuò dandum eſſe, quod innuere uidentur ſacræ ſcripturæ loci, ut Exo. xxij. Si populo meo pauperi pecuniam mutuò dederis, non urgebis eum quaſi exactor &c. Item Leuit. xxv. Si attenuatus fuerit frater

ter

ter tuus,et infirma manu,&c.Quo ſe ſuſtentare,ac duriſsimum paupertatis telum effugere poſsit. Et ſic ad pium & honeſtum uſum, nõ ad impium nec perniciosum, imò & multo minus, ut uſura ex mutuo accepta, res familiaris adaugeatur,opes ac diuitię inde parentur.

Quibus modis res ſine uſurarum fraude acquiri poſsint. Cap. II.

NEc protinus putandũ, omnes commerciorum uſus,& adaugendę rei familiaris facultatem ſublatã uel præreptam eſſe, cùm multi ſint modi, quibus ſine fraude,ſine proximi iniuria ac Reip. detrimento, res familiaris adminiſtrari ac amplificari poſsit. Et potiſsimùm ab omnibus collaudata eſt parſi-

monia, nec ulla re, inquit Cicero, conciliari facilius beneuolentiam multitudinis poſſe eos, qui præſunt, quàm abſtinentia & continentia, nec ullum tetrius uitium, quàm auaritia, præſertim in principibus, & Rempubl. gerentibus. Habere enim eam queſtui, non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, atque nefarium. Quod cùm Ethnici naturæ inſtinctu ſenſerint, quanto magis Chriſtifideles hoc animaduertere conuenit. Et meminiſſe oportet quod Paul. monet 1. ad Tim. vi. Qui cupiunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium ac interitum. Ideò Sophonias rectè increpat ſuos cap. iij. ubi inquit: Principes in medio

eorum quaſi leones rugientes: iudices eius lupi ueſpertini, oſsa non reliqua faciunt uſque mane. Hinc tot difficultates rerum omnium, et preſſuræ gentium, ubiq; penè terrarum. Quod & Paul. breuiſsimè abſoluit, cùm inquit: Radix omniũ malorũ auaritia: quę ſi aboleri utinã poſſet, & omnes modi fraudeſque uſurarum exercendarum, ex Repub. Chriſtiana pellerentur, haud dubiè & eã magis tranquillã magisq́ collaudatam haberemus. Quare nec illud putandũ, omnem commerciorum uſum intercludi, cùm & multi ſint modi atq; contractus, qui ſine turpitudine exerceri, quibuſque res familiaris quæri ac ſine fraude & uſuris adaugeri poſſit, ut in toto tit. *de acquir. re. domi. ff. ac C. & §. uideamus. Inſti.*

per

per quas perſo. res acqui. Vbi referuntur modi, quibus rerum dominia nobis licitè obueniunt. Cuius generis etiam multi ac infiniti ſunt contractus, quos omnes *hic* referre ac perſequi operæprecium non eſt, ſed tantùm eos, qui maximè ad rem præſentem pertinere uidentur, obiter attingemus.

De locatione & conductione. Cap. III.

QVorum ille omnium frequentiſsimus eſt, qui locationis ac conductionis eſſe cenſetur, ut ſi domus, ager, & alia res quantouis precio elocetur, quicquid huius rei cauſa accipitur, tametſi forti accedat, non tamen uſuram eſſe cenſendum eſt. Cuius rei illa eſt ratio, quòd rei elocatæ dominium in con

ductorem

ductorem non tranſeat, ſed locato ris permaneat, & illius interitus uel fortuna ad ipſum ſpectat: quod quidem ſecus eſt in re mutuata, quę ita transfertur, ut iure dominij acci pientis fiat: Quare interitus rei ad ipſum ſpectat, & rem mutuò dans certus eſt, ut illi idē in genere æquè bonum reddatur, cùm ſpecies per- ire nequeat. Et quia uſu nihil illi decedit, & accipienti mutuò nihil accedit, quia conſumptione uſus perit, iniquum eſſe putatur, ob id quicquam ſorti accreſcere debere. Quæ omnia ſecus ſe habent in re locata, quia ea utitur conductor, et præter periculum uſui etiam non- nihil decedere ſolet, & ideò etiam argentum elaboratum, uel etiam pecunia ſignata ad pompam eloca ta, rectè ab ijs precium accipi poſſe

permiſ-

permiſſum eſt. ut *l. ſed mihi. §. nõ poteſt. cum l. ſeq. ff. commo.* Et ſic patet, hũc contractum licitum eſſe, mediante quo, ſine turpitudine res adaugeri ac ſorti accedere quid poteſt. Quod & maximè eo caſu putandum, quo operas ſuas quis collocat, nam ex eo omnium honeſtiſſimæ res comparantur, etiam teſtimonio diuinæ inſtitutionis, ut Geneſ. 3. In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo. Item Paulus: Qui non laborat, non manducet: Igitur qui laborat, manducabit. Item Exod. Boui trituranti non obligabis os. Huc etiam pertinent militum ac togatorum ſtipendia, eo quòd opera uel conſilio Reipubl. præſunt, modò, ut Ioan. docet, ĳs ſint contenti, nec cuiquam

oneri:

oneri: neminémque concutientes. Huc etiam profeſſorum, omniumque artium magiſtrorum præmia referri poſſunt, ut toto tit. *de uarijs & extraor. cog.* Quæ cùm ita ſint, nemo meritò conqueri debet, facultatem ſibi honeſtæ rei alicui incumbendi demptum iri, quo & ſe ſuſtentare, opesq́; comparare poſs t.

De emptione & uenditione.
Cap. IIII.

VErùm quis ignorat, uenditionis contractũ, & aptum & frequentiſsimum eſſe comparandę ac amplificandę rei, et ſine omni cõtroverſia licitũ, maximè eo caſu, quo quis fruges & omne id quod cuiq; ſupereſt,

ſupereſt, iuſto precio aliȷ emendū impertiat.

Item qui in uſum quotidianum, manibus comparatas habent res ut uendant. Sed quid, ſi ea intentio ne quis mercatus fuerit, ut carius uendat, unde & mercatores profeſsione dicti, num & eo caſu pro licito habendus eſt, nec ne? Et conſtat ſanè eſſe, cùm communi hominum utilitati ac commodis deſeruiat, modò cum timore Dei, negotiationem uel profeſsionem hanc exerceant, & lucrum conueniens ratione habita impenſarum, laborū, curę ac periculorum percipiant: Inſuper fraude, dolo, uel ſimulatione careant, & fide bona omnia peragant, ut tradit Triphonius *in l. bona fides. ff. depoſi.* cùm inquit: Bona fides, quæ in contractibus exigitur,

tur, æquitatem ſummam deſiderat. Idem Diocletia. & Maximi. Imperatores ſtatuerunt, utpote bonam fidem in contractibus conſiderari æquum eſt, & hoc in Chriſtiano inprimis requiri, ſecundum doctrinam Pauli in Epiſt. ad Theſſa. cap. iiij. ubi inquit: Ne quis ſupergrediatur, neq; circumueniat fratrem in negotio, quoniam uindex eſt Dominus de ijs omnibus. Itaque non conuenit huc adducere, quod Vlpianus *in l. cauſæ. §. idem Pompo.* inquit, de minori. In precio emptionis & uenditionis, naturaliter licere cōtrahentibus ſe circumuenire. & ut Paul. *in l. litem. ſi precio. §. fi. ff. loca* ait: Quemadmodum in emendo & uendendo, naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere, & quod minoris ſit, pluris

uendere, & inuicem ſe circumſcribere: ita in locationibus quoque & conductionibus idem iuris eſt, recipiunt tamen hæc commodam interpretationem, atq; intelligenda ſunt, ſi dolus abſit, & omnia bona fide acta fuerint, ac duplum iuſtæ æſtimationis precium non excedat, ut Innocen. declarat, *in c. i. de uſu.* alioqui rarò uel nunquam hic contractus firmaretur, ſed facilè & reſcindi, & calumnijs locum dari perſpicuum eſt. Quare cùm hoc naturaliter quodammodo huiuſmodi cõtractibus inſit, propter frequentem ac quotidianum uſum permiſſum uidetur, ſed ita tamen, ne conſcientiæ habenas per hoc ſibi amputatas quis, ac impunè circumuenire ac ludificare proximum ſibi licere exiſtimet.

De

De redituum ſiue penſionum emptio-nibus. Cap. V.

SEd & penſionum emptiones olim pergquè in uſu erant, priuſ quam uſurarum contractus inole-uerunt. Nam hæ cùm uberiores fructus adferant ; frequentiores factæ ſunt, quæ licitè in deſuetu-dinem abiere, nec niſi apud pau-cos, qui conſcientiam illæſam tue-ri ſtudent, ſine fuco ac uſurarum fraude adhuc celebrantur, illiusq; contractus conditiones ſunt, ut ſi quis dederit centũ aureos, ipſe ſibi ſuisq; hæredibus perpetuò quinq;, ſed ad uitam decem, quoquo an-no, penſionis nomine emat. Cùm enim is contractus alienus ſit à contractu mutui, & emptionis &

uenditionis eſſe cẽſetur, cùm merx & precium, quæ ſubſtantialia ipſius contractus ſunt, interuenerint, ideò iuris alterius eſſe nemini dubium eſt. Ac primùm centum aurei ita in uenditorem penſionum transferantur, ut nullo unquam tempore ab eo repeti poſſe, certum ſit, ni uenditor ipſe ſibi conuentione proſpexerit, ut quandocunque libuerit uenditã penſionẽ redimere. Quod ſecus eſt in mutuo, ubi pecuniam ad libitum, uel elapſo certo tempore repetendi facultatem ſibi reſeruatam eſſe uolunt creditores, & propter certitudinẽ capitalis ſummæ hic illicitus, ille uerò licitus eſſe cenſetur, ut hęc per Specu. & Ioan. And. *de uſu*. Hoſt. Imo. Bal. Alex. Iaſo. *in l. pater puellæ. C. de inoff. teſt. Abb. in c. in ciuitate. ext. de uſu.*

Quod

Quod tamen generaliter non procedit, alioqui dolis ac fraudibus facilè locus eſſet, & mutui contractus in emptionis & uenditionis ut communiter hodie fit in inſtrumentis, colore adhibito conuerti poſſet, cùm tamen reuera nihil aliud quàm mutuum, & uſurarius eſſet, ut ſuprà docuimus. Itaq; ſuprà ſcripta ſententia non niſi in aliquibus caſibus certa ac indubitata eſt.

Et inprimis cùm ius in re conſtitutum eſt, ut quia cenſualis contractus celebratus, puta cùm quis alienata re propria, retinet in ea certum cenſum, *c. conſtitutus, de religio. domi. Bar. l. i. §. de pub.* Idemq; ſi uenditus fundus, & in Emphyteoſin tametſi in continenti acceptus, ſub eſt enim eadem ratio. Bald. *l. i. q. iij.*

C.de ijs qui pœ.no.Iaſon.l.i.C.de ſumma tri. Valebit ergo & in foro conſcientiæ talis contractus, niſi aliquibus ſignis oſtendatur id actum, ut non tam emptio quàm mutuum celebretur, frausq́; legi de contractu ad contractum facta ſit. *l.ſi ſponſus. §. circa. de donat. inter uir. & mu. l. cùm uir. de iur. do.* ubi Bart. Qua in re plurimas coniecturas aliqui tradidere, ut Sepol. tract. de ſimul. contract. atq; Vitell. in ſuo tract.

Secundus caſus eſt, cùm penſio conſtituta ſuper re modicum plus ualente, adeò ut ſubeſſe poſsit aliquod periculum, ſi debitor efficiatur non ſoluendo, propter enim dubium euentum ſuſtinendus contractus, Vdalri. conſ. lv. Ioan. And. *in Specu. in Rub. de uſu. DD. in c. in ciuitate.* Sicut & ſuſtinetur in eo, qui

qui annuum reditum quantulo-cunque precio emit, donec uixerit, propter incertitudinem enim mortalitatis ualet conuentio. Docto. *l. de fideicommiſſo. C. de tranſact.* Videnturq; in hoc caſu procedere conſtitutiones Martini v. & Calix. iij. *ext. de empt. & uen. c. ij. et i.* in quibus dicitur fuiſſe conuentũ, ut prædijs peremptis, non tamen pecunia reſtitueretur.

Tertius, quando non pecunia, ſed fructus ſunt præſtandi: ſubeſt enim periculum, ne non naſcantur. *l. ſi. de condi. & demonſt.* Vnde tali in caſu, ne contractus ſit illicitus, præſumendum, id actum eſſe, ne ex ſequente pubertate reliqua ſuppleri debeant. Quid ergo ſi non ex certo fundo, ſed in genere fructus permiſsi ſunt: & cùm

tali caſu, ſecutus ſit emptor, ſecus eſſet, ut per Bal. *in l. ſi quis. in fine.* Anchora. *d. c. in ciuitate.* Vnde apparet eum contractum, quo quis centum aureis uehem uini annuam emit, licet in ſpeciem uſurarius non ſit, periculoſum tamen conſcientiæ eſſe, maximè cùm communi annorum curſu, xv. uel xx. uini uehes, centum aureorum ualorem excedant.

Quartus, quando quis ipſe penſionem ſibi nouam conſtitui non facit, ſed iam ab alio conſtitutam emit. arg. *l. patronus. in prin. de ll. iij.* Ceſſat enim tali caſu ſuſpicio fraudis, licitumque unicuiq; etiam uili precio rem emere, *l. in cauſæ. §. idem Pompo. de minori.* quod ex facto Paul. Caſt. reſpondit conſil. ccxxix.

Quintus, cùm hic contractus à

Republ.

Republ. Eccleſia uel alia uniuerſita te eſt celebratus, in qua ueriſimile ſit, ſpectatę probitatis & purę con ſcientiæ homines eſſe. Item à tutoribus uel curatoribus in rebus pupillorum: nec enim in eis mens fœnerandi præſumitur, nec ſubeſt cauſa, cùm tale ius ſingulorum nõ ſit, ſed uniuerſitatis uel minorum: quo in caſu & Iuſtinianus, & ſuprà ſcriptæ pontificiæ conſtitutiones loquuntur.

Sed quid cenſendum econtrà, ſi priuatus cum Repub. hunc contractum celebret? Etſi non ſpontè, ſed coactus à principe uel Repub. cùm mens delinquendi non adeſt, mallet ſortem habere, quàm id nomen, quod ſat ſecurum ſit, tali enim caſu dubium non eſt, hunc contractum eſſe licitum, Ancho. conſi. xxix. Ia-

ſon. *l.i. de ſum. trini.* Verùm quid ſi ſpontè, & hic caſus magis dubitabilis eſt, cùm Iuſtinianus, & conſtitutiones Pontificum tantùm de Repub. Eccleſia uel uniuerſitate loquantur. Sed tamen propter Maximiliani & Caroli V. Imperatorum conſtitutiones, cùm generales ſint, & longo uſu & conſuetudine fundatæ, permiſſum uidetur, ut idem in cæteris collegijs alijſque perſonis cenſendum uideatur, dum modò ueram uenditionem ſine fuco uel fraude celebratam eſſe conſtet, & non niſi quinq; ratione habita ad centum, cenſus nomine diuenditi fuerint, ut expreſsè conſtitutione diuorum Cæſarum prouiſum extat. Et his caſibus tantùm locum habet, quod uulgo iactari ſolet, quinque à centum licitè accipi poſſe.

poſſe. Secus autem, ſi quinq; uel ſex, ut nunc eſt in uſu, à centum mutuò datis, quis ſtipulatus ſit. Nam cùm in alicuius arbitrio ſit, uel ex certo tempore ſecundum pacti formam repetere poſſe ſummam capitalem, nõ æquum eſt, ut unus teruncius uel minimam commoditatem inde ferat, cùm ſit uſura, ut ſuprà docuimus.

Nec refert quod dicitur, ipſum Imperatorẽ aliquando neceſsitatis tempore xij. uel etiam plus de centenis dare ſolitum. Verũm non is qui iniuriam patitur, peccare dicitur, ſed ille qui infert culpandus eſt, & quæ de facto fiunt, iuris rationem euertere non poſſunt. Quod etiam Conſtantini tempore factum fuiſſe legitur, ut bellis ac cladibus flagrante imperio, quidã

negotiator

negotiatores terreſtres uſuras exercuiſſe fertur, quæ hemoliæ ſeu ſeſquicenteſimæ dictæ ſunt. Et quia erat abuſus contra legitimum modum, ideò in celeberrima Synodo Nicæna reprobatus ac damnatus eſt, ut habetur *in c. quoniam multi. xlvij. diſt*. Præterea, ſi ſint mercatores, à quibus mutuum accipitur, tum non uſurarum nomine, ſed quantum illorum interſit, pecunia carere, exigere poſſe prætendunt. Quod quidem in eo caſu, quo à principe neceſsitatis tempore ad hoc coacti, defendi poſſet, ſecus autem ſi ſpontè uel ultrò lucri cauſa concredant. Nec enim rationi conuenit, ut ex mercimonijs, ubi periculum ac uarij fortunæ caſus metuendi ſunt, aliquod lucrum ſperare contingat, Ideò tantundem pecuniæ

cuniæ ſub uſuris,quę certæ ſunt,&
nihil in ſe habent periculi,colloca-
re liceat. Niſi rurſus prętendant,
ſummum ſubeſſe periculum,ne uel
ipſa ſumma capitalis uel uſurę à re-
gibus uel principibus tandē ſoluā-
tur. Sed idipſum ſi præſupponant,
ſuo quaſi iudicio, ut ſorex,miſeri
pereunt, nec ſibi hac in re fieri iniu
riam meritò cōqueri poſſunt,cùm
uolenti, ut aiunt, iniuria non fit.
Ac ſanè digna tantæ temeritatis ac
impudentiæ pœna,cùm nō ſolùm
ſuam pecuniā, ac omnem rem, ſed
& aliorum, à quibus ſub minori-
bus uſuris pecunia accepta, ſub ma
ximis magnatibus, præcipuè fla-
grante bello,quò longius hoc pro
trahi poſsit,in creditum dant. Ac
ſic ſubitò fortunæ caſibus ob auari
tiam ſuas ac aliorum facultates ex-
ponunt.

Pactum

Pactum de retrouendendo an ſit licitum. Cap. VI.

VT finge, Titius uendidit ac tradidit agrum uel domum ſuam Sempronio, eo pacto, ut quando ipſe, aut ſui hæredes poſsint, reddito eodem precio rem uenditam ad ſe redimere, contractus uſurarius an ne hic ſit, quæritur? Et ſanè uidetur eſſe, per textum *in l. emptione. C. plus ual. quod ag. quàm quod ſimu. conci.* Vbi habetur ex mente Bar. quòd contractus emptionis intelligatur eſſe factus pignoris cauſa, quando apponitur pactum de reuendendo. Ad idem textus clarus ac rotundus *in c. ad noſtram. ext. de emp. & uend. & c. illo uos. de pignori*, cùm non dubium ſit, in legem committere eum, qui uerba

ba legis amplexus, contra legis nititur uoluntatem. *l. non dubium. C. de legi.* Hoc etiam amplius etiamſi iuramentum interuenerit, nihilominus emptionem eſſe, cùm ſubſtantia iuramenti, utputa conſenſus deficiat, ac interim non niſi nudũ pignus conſtituatur, ut *l. fi. C. de non nume. pe.* Et cùm ſuprà dictum, fructus rei pignoratæ lucro non cedere creditori, ſed in ſortem cõputari, ut *l. i. & ij. C. de pact. pig.* Sequitur contractum ſeu pactum de retrouendendo licitum non eſſe, ſed in fraudem uſurarum celebrari, & fructus perceptos ſortem extenuare.

His tamen non obſtantibus, certiſsimi iuris eſt in propoſita facti ſpecie, cùm uenditio iuſto precio inita ſit, non præſumi uſura-

rium

rium nec pignoratitium cõtractũ, ſed pactum de retrouendendo licitum. Et emptor interea temporis quo non luit, uenditor uel ſui hæredes lucrari fructus, nec in ſortem eos computari oportere, ut eſt textus clarus, *in l. ij. C. de pact. inter emp. & uend.* ubi habetur ex mente Baldi & Sali. Vt ualeat pactum, ſi emptori intra certum tempus, uel quandocunq; precium offeratur, rem uenditam uenditori reſtituat, & ex eo datur actio offerendi & conſignandi, & habetur ratio fructuum poſt oblatum precium. Et hæc etiam procedunt ac locum habent iure Canonico, ut apertè uult glo. *c. ad noſtram. ext. de emp. & uen.* tenet & affirmat Archi. *xiiij. q. iij. c. plerique.* Refert & ſequitur Abb. *in d. c. ad noſtram.* Idem tenet Cynus. Bal. *in d.*

in d.l. ij. Nec obſtant iura in contrarium adducta, quia illa loquuntur ac locum habent caſu, quo non uera, ſed ſimulata contracta ſit uenditio, quod multis argumentis ſeu cõiecturis liquere poteſt. Et primò, ſi cum pacto de retrouendendo modicum concurrat precium, reſpectu rei uenditæ: & tametſi Dynus poſt Iacobum de Are. *in l. iij. C. plus ua. quod agi. quàm quod ſimu. conci.* tradiderunt, nihilominus ualere contractum, tamen Ioan. An. contrariũ cenſuit, *in d.c. illo uos.* Cuius ſententia approbata eſt per glo. ibidem, & glo. *in c. conqueſtus. de uſu.* Et idem ſenſit Archi. *in c. plerię. xiiij. q. iij.* & Anto. de But. *in d.c. illo uos.* quem & ſequitur Ioan. de Imo. & Paul. de Caſ. in conſi. cxxxiij. Alex. de Imo. in conſi. xlvi. in iij. parte.

Quæ ſententia tum maximè procedit, ſi quando emptor conſueuit uſuram exercere, in quibus terminis loquitur *d.c.illo uos. de pig.*

Secundò, quando facta eſt uenditio uili precio, cum pacto de retrouendendo, hoc addito, ut certis annis elapſis iterũ fiat luitio. Quia ex eo intelligitur hoc actum, ut creditor interim pro paruæ pecuniæ ſumma concredita, lucretur fructus, & in his terminis uerſatur *c. ad noſtram, ext. de emp. & uend.*

Tertiò, quando è contra facta eſt uenditio, multo pluris æſtimationis precio, hoc amplius ut fructus in ſortem computentur, cùm enim hoc pactum contra naturam

ſit

ſit contractus, dubium non eſt, uſu raram argui. Et hic eſt proprius caſus *d. c. illo uos.* Si enim uera inita fuiſſet uenditio, conueniens erat, emptorem lucrari fructus. Quare hoc pactum contractum pignoratitium attingit, ac contra ipſius naturam appoſitum. Ideo illud quod concreditæ pecuniæ ea ratione accedit, uſurarum cauſa extortum eſſe conſtat.

Quartò, ſi quando conſtaret, primò actum, ut pecunia mutuò daretur, offerendo rerum ſuarum hypothecam, creditor uerò retrectat dare mutuum, ſed ſe empturum paratũ eſſe dicat, quo argumẽto ſolùm conuinci uſurarios ſuo tempore Hoſti. refert. Et hoc in-

primis, ſi emptor ſit uſurarius, alio qui ex eo ſolo fraudem argui non poſſe, Abb. cenſuit, niſi & rurſus accedat alia coniectura, ſcilicet precij exiguitas, & non ultrà quàm primò petitum, ſit cõcreditum. Nam tum ex pacto de retrouendendo non niſi pignus conſtitutum, & in fraudem uſurarum uenditionem celebratã præſumitur, ut per Abb. *in d. c. ad noſtram, in fi.*

An iuri offerendi ſeu redimendi præſcribatur. Cap. VII.

HAec quæſtio tametſi extra inſtituti noſtri propoſitum eſſe uideatur, tamen quia dignum habeat tractatum, & in quotidiano uſu uerſetur, ac quodammodo cõſcientiæ puritatem reſpiciat, ideo operæpretium erit, eam hic inſerere,

rere,& ſuperiori annectere. Et pro ipſius explicatione ſciendum eſt, Ius offerendi quatuor modis conſiderari. Primo quod competit ſecundo creditori, offerenti primò pecuniã debitam, ut ſibi ius pignoris confirmet, de quo eſt textus *in l. i. C. qui potio. in pig. ha.* Secundo, quod quilibet habet poſſeſſor offerendo debitum, ut ſe ab exactione creditoris liberet, ut de hoc ſunt iura *in l. Paulus. §. fi. ff. quib. mo. pig. uel hypo. ſol. l. mulier. ff. qui potio. in pig. ha. l. ſi. fundus. §. uenditorem. ff. de pig.* Tertio, quod ipſi debitori competit, ut offerens debitum pignus redimat. *l. ſi. in fine. C. de diſtrac. pig. l. ſi rem. §. omnis. & l. creditor. §. fi. ff. de pigno. act. l. ſolutum. §. ſolutam. ff. de pig.* Quarto, quod uenditori cõpetit ex pacto, ut ipſe uel ſui hære-

des oblata pecunia rem uenditam quandocunq; ad ſe redimant, ut *l. ij. C. de pact. int. emp. & uen.* De ſingulis itaq; quid iuris ſit, diſpiciendum erit.

Et quod ad primum attinet, dubij iuris non eſt, ſecundum creditorem in iure offerendi prẹſcriptione xxx. uel xl. annorum ſpacio excludi, ut *l. cùm notiſsimi. §. ſed cùm illud. C. de præſcrip. xxx. uel xl. annor.* Et Bart. ibi huiuſmodi tradit doctrinam, quam à Doctoribus communiter approbatam eſſe inquit, ut ſit quoddam ius offerendi, quod per modum iuris competit, utputa ſecundo creditori erga primum, confirmandi pignoris gratia, & tollitur hoc ſpacio xxx. uel xl. annorum. Quoddam uerò per modum facultatis competens, utputa debitori

bitori offerenti debitum, ut pignus à creditore redimat, & iſta facultas nunquam præſcribitur, ſicut nec illa, eundi per uiam publicam. *l. uia publica. ff. de uia pub.* Quod & idem tradit Cyn. ut infrà uidebimus.

Secundo uerò caſu, quo quemlibet poſſeſſorem ius offerendi habere diximus, nullo unquam tempore præſcribi etiam tradit Bart. *in l. pignori. ff. de pig.* ubi inquit: Si quando ius offerendi eſt ſequela exceptionis, nullo unquam tempore præſcribitur, allegans *l. Paulus. §. fi. Quib. mo. pig. uel hypo. ſol.* ubi habetur: Si quis poſsideat pignus alteri obligatum, competit illi ius offerendi priori debitori, idque exceptionis quodam iure. Quare dubium non eſt, ſemper il-

ſo uti poſſe, uulgata regula iuris, Quæ temporalia ſunt ad agendum, perpetua ſunt ad excipiendū. *l. purè. §. fi. de iureiur.* Refert & ſequitur Anto. de Bu. *in c. quam frequenter. §. fi. ut li. non conteſt.* Idem docet Ange. *in. §. actionum, uerſi. his omnib. Inſt. de actio.*

Tertiò, cùm debitor offert pecuniam concreditam, redimendi pignoris cauſa, præſcriptione an repelli poſsit, diuerſæ ſunt doctorū ſententiæ. Et glo. *in l. cùm notiſsimi. §. i. C. de præſcrip. xxx. uel xl. an.* innuere uidetur, ex ſententia Bulgari, eo caſu præſcriptioni locum eſſe, ſicut & ſuperiori diximus. Cui ſententiæ etiam accedit Florenti. ea ratione, quod cùm poſsit debitor facere ſoluendo debitum, ac agere pignoratitia, Itaq; iam poſſe uideri, uulga-

ta

ta regula iuris, *l. qui poteſt. de reg. iur.* ſubiungens pro ea ſententia facere *l. ſi finita §. poſtea autem. ff. de dam. infec.* Eandem & tueri uidetur Azo in ſua ſumma ſuper *d. l. qui poteſt.* quam & ſecundum Alberi. de Roſa. defendere uidetur Iacob. Bu. dicens, quōd ſicut præſcribitur iuri formato, ſic & facto. Ex quo idipſum ſequitur, ut in officio iudicis quod facti eſt uidere licet, ut *l. quintus. §. Pompo. ff. de annu. lega.* Si itaque facto, & ſic natiuitati actionis utilis, *l. ſi ab hoſtibus. C. ex quibus cau. maio.* Quare & idem dicendum in facto offerendi, & per conſequens natiuitati actionis pignoratitiæ. Nam actionem pignoratitiam non naſci, niſi debitum ſolutum fuerit, certum eſt, ut eſt textus *in l. ſolutum. ff. de pignorũ*

actio. Refert & ſequitur Bal. *ind. l. cùm notiſſimi. in fi.* Et ad fundamentum Barto. reſpondet eſſe falſum ex implemento conditionis, eo caſu oriri actionem, ſed impleta demum conditione, reſultare meram facultatem, quæ ſi actu deducta fuerit, actionem oriri, ut in eo patet, qui inſtitutus eſt ſub conditione, diuerſa ab actu conditionis. Nam eam implendo hæres non efficitur, ſed ſolùm ad id habilitatur, ut *l. Antiſtius. de acqui. hær.* Vt ſi inſtituam te ſi uolueris, hanc conditionem tametſi omni tempore impleri poſsit, in mera tamen facultate non conſiſtere, ex eo patet, quòd iuri adeundi præſcribatur longiſſimo tempore, ut *l. licet. C. de iu. de lib.* Et ſic patet, facultati implendæ conditionis cauſa adiecta præſcri-

bi,

bi. *l. pe. ff. quib. ad lib. clama. non licet.* Idem tenet Ange. *in d. l. cùm notiſſimi. in prin. in tertia col.* Vbi ferè ad uerbum refert Bal. & idem *in l. pignor. ff. de uſuca.* ubi inquit, quòd leges quæ loquantur de præſcriptione, in ijs quæ in iure, non autem ſimplici facultate conſiſtunt, loqui.

Sed ſimplicem facultatem eſſe ait, quando aliquid permittitur alicui, iuris conſeruandi ſui cauſa. *l. in re mandata. C. manda. l. uiam publicam. de uia pub.* Ea uerò quæ ad nouam iuris acquiſitionem tendunt, meræ facultatis non eſſe, ſed potius iuris, ut patet in facultate adeundi, ut *d. l. licet.* Hinc Ange. de Per. conſi. ccli. incipiente, ad hæreditatem domini, dicit. Quod dicitur meræ facultati non

præſcribi,

præſcribi, uerum eſſe, quando iſta facultas in actum deducta, nō producit neque parit aliquod ius immediatè in iudicium deducibile, ut eſt actus aditionis, quia parit ius adeundi, & contra adeuntem actiones actiuas & paſsiuas. Sic & in debitore dicendum, ut oblato debito pignoratitia naſcatur. Quare iuri offerendi prǽſcribi concludendum eſſe patet. Eandem opinionem ſecutus eſt Ioan. de Imo. *in d. l. pignori*. Idq; iiſdem rationibus, & ſubiungens non præſcribi facultati implendæ conditionis, poteſtatiue procedere, quando adiecta ſit legato, *l. hæc conditio, de conditi. & demonſt.* Refert & ſequitur Alex. de Imo. *in d. l. qui pignori*. Idem etiam Franciſ. de Are. *in l. quàm diu. in ij. & iij. Col. de acquir. hære.*

Sed

Sed contrarium tradiderunt & affirmarunt gloſſatores, & Doctores antiqui. Et inprimis Rogerius, Martinus, Simon, Vincentius, Iaco. de Rauen. Petrus de bel. par. Guilhel. & alij, quos refert & ſequitur ipſe Cynus, *in l. cùm notiſsimi. §. i. C. de præſc. xxx. uel xl. an.* ubi inquit, quòd licet gloſſa contrarium dicat, tamen ipſe credit hoc caſu iuri offerendi preſcribi non poſſe, & ratio eſt euidens, quia aut debitor poſsidet, aut creditor. Si debitor, præſcriptioni locus eſſe nequit, ea ratione, quòd quę ſunt temporalia ad agendum, perpetua ſunt ad excipiendum, ut *l. purè. ff. de doli excep. l. ſi quando. C. de dilatio. & l. i. §. i. de an. excep.* Si uerò creditor, nec tum præſcriptioni locum eſſe ex eo patet, quòd non niſi iuri ad iura

præſcribi

præſcribi poſsit,ſed debitor nõ ha bet ius, ſed facultatem offerendi. Nam ipſum ius offerendi quando que eſt ius formale,quandoq; uerò mera facultas, ſicq; facultas duo bus modis accipitur: primò pro iu re formali,ut quando duo ſunt crè ditores,quorum uni aduerſus alte rum ius offerendi competit,ut in lo cum eius ſuccedat, tale enim tolli tur ſpacio xxx. uel xl. an. & ſic de bere intelligi *d.l.cùm notiſsimi*. Aliò modo accipitur facultas pro iure non formato, ſed in ſimplici facul tate conſiſtens,ſicut eſt illud, quod cõpetit debitori offerenti debitũ, ut pignus luat, & tali iuri nunquã præſcribitur,*arg.l.malè agitur*.C.*de præſc.xxx.uel xl.an*.ſicut nec faculta ti eundi ad Eccleſiam.*d.l.uia publica*.

Secus

Secus aũt in duobus creditoribus, quibus cõpetit ius,& non mera facultas. Ideo eodem tẽpore tollitur acceſſoriũ ſimul cum principali, ut *l. cùm principalis, de reg. iu.* Ad illud aũt quod ſuprà dictũ, imputandũ ei qui potuit, reſpondet uerũ in iure formato, ſecus autem in facultate, tunc enim creditor mihi nõ poteſt imputare, quia ſi culpent alij te, me laudare neceſſe eſt. *l. cùm in fundo § i. ff. de iur. do.* ſubdens hoc tenere doctores antiquos ſuprà allegatos.

Eãdem ſententiam defendit Alb. de Roſa. reiecta opinione glo. *in d. l. cùm notiſsimi. in iij. col.* referens doctrinã Cyni, ſuprà relatã. Idem Roffe. in libellis ſuis de negatoria, referens ſic etiã ſenſiſſe Oldradũ. Idẽ tenuere

nuere Andr. de Pi. & Rom. ſecun-
dum quod ſequitur & refert Alber.
de Roſa. *in l. ſi rem. ff. de pigno. actio.*
& Sali. *in d. l. cùm notiſſ. §. eodem iure.*
ultima col. referens dicta Cyni, di-
cens quòd melior ſibi uideatur re-
ſponſio *ad l. qui poteſt.* quòd dilatio
offerendi data ſit à creditore, ideo
enim mutuatus eſt pecuniam, ut ea
uteretur debitor quàmdiu uellet,
modò non repeteretur, Vnde ne-
gligentiam ſibi imputare non con-
uenit. Si uerò debitor admonitus
pignus non luat, habet creditor ius
dominij impetrandi, ut toto tit. C.
de domi. impe. Inſuper creditor re-
præſentat imaginem debitoris, ut
§. ſed cùm illud. Ideo præſcriptioni
contra eum locum eſſe non poteſt.
Adducit & aliam rationem, nimi-
rum præſcriptionem introductam
eſſe

eſſe, ad extinguendum aliquod ius formatum, ut patet in omnibus titulis præſcriptionum ff. & C. Et poſito quòd ius offerendi ſit ius implendæ conditionis, ut competat pignoratitia, at conditioni poteſtatiuę implendæ, nullo unquam tempore præſcribi poſſe, eſt textus *in l. ſuus quoq;. §. fi. de hære. inſti. & l fi. ff. de condic. inde.* Et ratio euidens eſt, quia conditio poteſtatiua ſemper poteſt impleri, etiam in ultimo uitæ ſpiritu, ut idem tradit Barto. *in d. l. ſi rem. §. omnis.* remittendo ad dicta per eum *in d l. pignori.* Idē cenſuit quoq; Fulgo. *in d. §. omnis.* ubi ultra prædictos antiquos refert Placentinum etiam uoluiſſe, ut iuri offerendi non præſcribatur. Et ad dicta Bar. addit, quòd magis conueniebat adducere textum *in l. cùm*

notiſsimi. §. illud generaliter &c. Vbi apertè habetur, in ijs contractibus & obligationibus, quibus præſtandum eſt in diem uel conditionem ante euentum diei uel conditionis, non poſſe currere pręſcriptionem. At in terminis propoſitæ quæſtionis ut pignus reddatur, competit actio ſub conditione, ſi pecunia ſoluta ſit, & ideo præſcriptioni locus eſſe nequit.

Eam etiam ſecutus Paulus de Caſt. ſibijpſi contrarius, *in d. l. ſi pignori.* melius ac clarius de hac re diſſerit *in d. l. ſi rem. §. omnis, in fi.* ubi inquit, quòd iſta gloſſa per omnes doctores reprobatur, quia ius offerendi, quod habet debitor, non eſt propriè ius, ſed quædam facultas, quæ uenit ad executionē

iuris

iuris ſui, quod habet in re ipſa, ſcilicet dominij, unde etiam ſi per mille annos ſtaret, quòd non offerret debitum, quomodocunque poteſt offèrre & recuperare, *per d. l. uiam.* Et ſubdens, quòd gloſſa poſſet procedere in iure offerendi, quod habet ſecũdus creditor aduerſus primum, ut ſuprà declaratum extat.

Idem hoc ſenſiſſe uidetur Ioan. Andreæ, *in c. Quoniam frequenter. Paragraph. fina. Vt lite non conteſta.* Idem & cæteri Canoniſtæ, & inprimis Anton. de Butr. in penultima & ulti. col. referens Cynum & Bartholum, quorum ſententiã maximè procedere inquit Iure Canonico, ne conſcientia lædatur ex ſcientia rei alienæ, &

ſic cõtra bonam fidem quid cõmittatur, ut *c. fi. de præſcri.* Et hoc idem tenet Cardina. dum inquit, Ergo iuri offerendi non præſcribitur, inter debitorem & creditorem, & Abb. *in c. quoniam frequenter. § fi. xvij. col.* Refert ſequiturq; doctrinam Bart. ſubiũgens eam procedere de iure Cano. ſecundum quod non procedit præſcriptio cum mala fide: Cùm certum ſit creditorem poſsidere pignus, quo ad omnia, non autem quo ad præſcriptionẽ. *l. ſerui nom ne. ff. de uſuca.* alioqui dicendum, duo in ſolidum eandem rem præſcribere, contra notata *in regula, ſine poſſeſſione, de reg. iu. in vi. l. poſsidere § econtrario.* & ibi plenè per ſcribentes. *ff. de acqui poſſeſ.* Idẽ hoc ſenſit & Bald. *in d. c. quoniã frequenter.* cùm dicat, creditorem gerere

rere imaginem debitoris, & ideo non præſcribere. *d. l. cùm notiſsimi.* Item mala fide detinere rem alienã oblato precio ſibi. Ergo nunquam præſcribere poſſe. Quod idem notat Dynus *in c. locupletari. de reg. iur. in vi.* & idem ſenſit Bald. in conſil. ccxxix. iij. par. recedens ab opinione, quam tenuit in lectura *d. l. cùm notiſsimi.* Concludens quòd pignoratitiæ actioni futuræ, quę ſcilicet poſt oblatum debitum primũ competit. *ut l. nec creditores. C. de pigno. act.* præſcribi non poſsit. Quæ ſententia cùm autoritate ac numero doctorum priorem uincat, ideo tanquàm à communi, & quę maiori ęquitatę nitatur, recedendũ non eſt, ut *c. i. de decimis. Abb. in c. ſunt nonnulli. in uerſi. tantorum patrum. xvi. q. i. & l. ſi idem. ff. de iuriſdic. om. iud.*

& ibi notatur per Ange. Hinc iudi-
cans contra communem opinio-
nem, facit litem ſuã, nec excuſatur
in ſyndicatu, ut per Bar. & Ange. *in
l. fi. C. de pœnis iud. qui ma. iudi.* & di-
citur communis, quam plures gra-
uiores tradunt, *c. in Canonicis, xix.
diſt.*

Quartò, ea quæ ſuprà dicta
ſunt etiam locũ habent in eo, quod
de uenditore propoſitum eſt. Nam
quemadmodum ſuperiori caſu fa-
cultas redimendi pignus debitori
ex natura contractus competit, ut
toto tit. *de pigno. actio. l. ſi nec cau-
ſam. §. res. ff. ſi cert. peta.* ita etiam
uenditor oblata pecunia, rem uen-
ditam ex pacto incontinenti appo-
ſito, redimendi facultatem habet, ut
*l. petens. C. de pact. & d. l. ij. C. de
pact. inter emp. & uen. l. qui fundũ. de
contrah.*

contrah. emp. l. ſi. ſterilis. §. ſi. tibi. de actio. emp. Quod & comprobatur eo argumento, cùm emptor ſciat, à ſe rẽ euinci poſſe, eſt malę fidei poſſeſſor. Ergo ſequitur, nullo unquã tempore eum præſcribere, uulgata regula, poſſeſſor, *de reg. iu. in vi. c. fi. de præſcrip.* tali enim pacto ſaltem indirectè propter malam fidem poſſeſſoris impeditur prȩſcriptio. Bar. *l. nemo. de lega. 1.* ubi & Crotus. Et ideò Fulgo. Fab. And. Sicu. ac Barba. ex facto pro uenditore reſponderunt, & deciſionis ſuæ cauſam ſumunt ex *l. quod ſi nolit. §. ſi quis ita. ff. de ædil. edic.* ibi, ſi conuenerit, in perpetuum redhibitio fiat, puto hanc conuentionem ualere ita etiã in pacto de retrouendendo. Sic etiam concludi: Fabi. de mon. in tractatu ſuo, de emp. & uendi.

Verùm ab hac ſententia à recentioribus crebriori calculo in contrariam itum eſt, ut tam debitor quàm uenditor præſcriptione in iure redimendi excludatur, & hoc potiſsimum eo fundamento, quòd non temerè à regula recedendum, quæ generaliter præſcriptionem xxx. uel xl. annorũ induxit, aduerſus omnes actiones. *l. omnes. l. cùm notiſsimi. C. de præſc. xxx. uel xl. an.* & odio negligentiæ non petentis, ac ne perpetuò in incerto eſſent dominia, idque bono publico introductũ, ut *l. i. ff. de uſu. & præſc.* nec merè liberi arbitrij uel facultatis cenſeri ea, quæ in alterius præiudicium tendunt, Bar. *l. i. col. iij. ff. de cond. ex le.* & idem in *d. l. cùm notiſsimi.* meritò his caſibus pręſcriptioni locus eſſet. Quod & Imola, Alex. *in l.*

quàm

quàm diu.in prin.de acqui.hæ. tradiderunt. Referunt & ſequuntur Moder. *in d.l. petens.* Et hoc amplius etiam, ſi adiecta fuerit clauſula abſque ulla præſcriptione, uel quandocunq;, tanquam fauori publico, nemo facilè renunciare poſsit. *d.l. nemo.* & ibi per Bart. Et dictiones illæ, ſemper, quandocunque, uel perpetuò, reſtringi ad præſcriptionis præfinitæ tempus. *l. cognitione. ff. ad Silleia. c. i. de feu. da. l. commiſſoriæ. Inſt. de perpe. & temp. act.* Et ita Bald. & Ange. ex facto reſponderunt, Bald. conſ. ccciij. in i. uol. & Ang. conſ. lv. Idem Petr. de Ancho. cxxxij. Refert & ſequitur Iaſon. *in d.l. petens.* & ad rationem per Sali. quòd ſcilicet ſine poſſeſsione non currat præſcriptio, adductam, reſpondet, hoc quidem uerum eſſe

in præſcriptione x.uel xx. annorũ, in qua omnino requiritur poſſeſ-ſio, ut per Bart. *in l. naturaliter. ff. de uſuca.* Secus autem in præſcri. xxx. uel xl. an. quæ tantùm habet locum in iuribus incorporalibus, & ob negligentiam nõ petentis introdu-ctam. *c. placuit. § poteſt. xvi. q. iij.* declarat Bart. *in l. fi. in prin. ff. de eo per quem fac. er.* Refert & ſequitur Decius. *in d. l. petens.* Quinimo nec rationi conuenit, quòd interim creditor uel emptor ſit malę fidei poſſeſſor, cùm res interea tẽporis ſit ſua. Et conceſſo quòd malæ fidei poſſeſſor dominiũ pręſcribere non poſ-ſit, attamen cõfirmationẽ illius utique poteſt, *l. in bello. § ſi quis ſeruum. ff. de cap. & poſtli. re.* notatur *in l. ij. C. quod metus ca.* Itẽ quę iuri ſpeciali competunt, etiam malæ fidei poſſeſ-

 ſorem

ſorem pręſcribere palàm eſt, ut *l. fi. C. de temp. in integrum reſt.* Quod in priuilegijs fieri uidemus, cùm ea facilius tollantur, quàm ius cõmune, *ut l. militis. §. militia miſſus. ff. de mili. teſta. c. priuilegia. ext. de priuileg.*

Sed Alciatus *in d. l. petens.* tradidit hanc ſententiã ſecuram nõ eſſe, cùm enim hac in materia hodie ad ius canonicũ attendamus, nulli pręſcriptioni locus eſſe poteſt, cùm deficit bona fides. *c. fi. ext. de præſcrip.* tali enim pacto ſaltem indirectè propter malam fidem poſſeſſoris impeditur præſcriptio. Et hanc ſententiã uti æquiorem & conſcientię minus periculoſam, ſequendã conſulit, cui ſuffragatur et illud, quòd doctorib. antiquis potius ſtandũ, quàm Modernorũ commentis ad ſtipulandũ, *xvi. q. i. c. ſic uiue.* ibiq; no

tatur

tatur *c. ieiunium.lxvi.diſt.* facit quod notat Bal. *in l. fi. in pe. col. C. de edic. diui Adri. tol.* Vbi dicit, quòd Doctores antiqui magna ueneratione ſunt præſtantiores Modernis, pondere, numero uel menſura. Ideo in hac noſtra quęſtione rectè illorum aduerſus eos defenditur ſententia, iuribus ac rationibus ſuprà adductis. Nam contractum ex conuentione, legem accipere, ex regula cõmuni patet. *c. contractus. de reg. iu. in vi. l. ſi ut certum. §. interdum. ff. commo.* etiamſi contra naturam ipſius quid inducatur. *l. i. §. ſi conueniat. ff. depoſiti.* & quòd pacta incontinenti appoſita inſint contractibus, manifeſtè probatur *in l. petens. C. de pact.* Cur etiam pactum de retrouendendo, ne currat præſcriptio, ualere debeat, maximè ſi hoc actũ

ſit,

ſit, ut ſemper, uel quandocunq;, uel in perpetuum redimere fas ſit, & ad ea perpendenda ueniunt uerba textus, *in l. ij. C. de pact. inter. emp. & uen.* ibi, uel quandocunq; uel intra certa tempora. Et quòd cõuentione exceptio præſcriptionis tollatur, patet etiam ex uerbis Iuſtiniani in ſæpe *d. l. cùm notiſsimi § quamobrẽ.* ibi, niſi conuentio aut ætas interceſſerit. facit textus, *in l. fi. C. de iur. domi. impe.* ibi, ſiquidem in pactione cautum eſt, quemadmodum debeat pignus diſtrahi, ſiue in tempore, ſiue in alijs conuentionibus, ea obſeruari, pro quibus inter creditorem & debitorem conuentum eſt. Quibus nõ aduerſatur illud, quod ſuprà dictum, quòd dictiones hæ, ſemper, uel quandocunq;, uel in perpetuum, reſtringantur ad tempus

pus præſcriptionis à lege defini-tum,ut *d.l.cognitione.* & *Inſt.de per-petu.* & *tempo.act.* Cùm tamen la-pſu temporis ab homine abijciun-tur, neceſſariò de prohibitione præſcriptionis intelligi debent,ut *d.l. quòd ſi nolint. §. ſi quis ita.* Nec enim ueriſimile eſt, alia ex cauſa ad ditas fuiſſe.*l.i. ff. de uſuca.* Quod & Ang. & alij cenſuerunt,*l.cùm ſti-pulatus ſum mihi à Proculo.ff.*de uer-bo.obl. Præterea quòd aiunt,non temerè à communi regula receden-dum, uerum,niſi in contrarium a-ctum ſit, idque regula uulgari,qua contractus ex conuentione legẽ ac cipere dicitur.*d.l.cõtractus.l.petẽs.* cum ſimilibus ſuprà adductis. Nec id alienum à iure noſtro, cùm ple-raq; alia aduerſus præſcriptionem etiam xl. annorũ recepta ſunt.Bar.
l.i.

l.i.§.ſi quis autem.de itine.actuq́ꝫ priua.

Secundò nõ obſtat, præſcriptionem xxx. annorum odio negligentis introductam, idq́ꝫ bono publico, ne perpetuò dominia in incerto ſint, & infinitas euitetur. Sanè illud mirandũ, animaduerſum nõ fuiſſe in hac facti ſpecie, nõ ſolũ negligentiam cõſiderandã eſſe, ſed etiã ſummã difficultatẽ conficiendi pecuniam, qua res uendita uel pignorata luatur. Quotus enim quiſq; fundũ ſeu lares paternos redimeret, modò facultas ſuppeteret? Sed paupertati multa à ll. indulgeri, pluſquam manifeſtum eſt, *l.q.i.c. inprimis.* paupertas enim pleriſq; in caſib. excuſationẽ meretur. *l.ſi procu.§. pe.ff.manda.c.ex ratione.de appel.* Sed & difficultas facit, ne mora cõmittatur, ut *l.ij. & iij. §. ſi per uenditorem. ff. de*

actio.

actio.emp. Ibi autem mora uidetur eſſe, ſi nulla difficultas uenditorem impediat: & regulare eſſe conſtat, morã difficultati cedere. *l. ſciendum. de uſu.* Et ſanè perquam iniquũ foret, cùm uenditor, uel debitor, qui pecuniã ſub uſuris accipere detrectaſſet, ideo fundũ uel lares, pignoris uel uẽditionis cauſa alienare maluiſſet, nũc autem propter curſum temporis præſcriptioni definitum ad hoc adigi, & in eam difficultatem conijci, & daniſtis diripiendũ uel lacerandum obijci deberet. Et tametſi bono publico præſcriptionem introductam lex dicat, ut *d. l. i. ff. de uſu.* cui renunciari nequeat. *d. l. nemo. ff. de lega. iij.* Sed bonum publicum multipliciter ac uario reſpectu conſiderari, Bar. *l. i. ff. Solu. mat.* docet, ac pleriſque caſibus renunciationi

ciationi locum eſſe, maximè ſi non principaliter, ſed ſecūdariò (ut hoc caſu noſtro) conſideretur. *l. ſi quis. de pact.* Et quòd præſcriptioni odioſę, ut uocant, ob negligentiam introductam renunciari poſsit, expreſsè Bald. docet *in l. i. C. de ſent. quæ de eo quod inte. profer. in vi. col. in uerſi. nunc de infinitate.* inquiens, quòd pacto caueri poſsit, ne præſcriptio currat, allegans *d. §. ſi quidita.* Idē firmat Ioan. de Imo. *in l. i. de uſuca.* & tradidit Dynus, *in l. nemo poteſt. de lega.* Vbi Bal. ipſum referens dicit, ita ſe conſuluiſſe, & exceptionem præſcriptionis, pacti replicatione tolli poſſe, cùm illud malam fidem inducat. Et ſicut debitor ſciens rem obligatam aduerſus creditorem non præſcribit, ut *l. ſicut. C. de præſcr. xxx. uel xl. an. l. i. C. ſi aduer. cre.* Cur

etiam è diuerſo creditor itē & uenditor eodem iure uti nō deberent, ut toto titu. *quòd quis in alic. ſta. eo. iu. uti debet.* Quod & Barto. *in l. ſi quis fundū. ff. de acqui. poſ.* tradidit.

Nec rurſus obſtat, quod infinitas non toleranda, & ne dominia ſemper in incerto ſint, facilè admittendum. At dominium incertum non eſt, ſed illud habere conſtat emptorem, tametſi reuocabile. Inſuper quemadmodum creditor ius dominij impetrandi pignoris cauſa habet, ut toto tit. *de iu. do impe.* idē etiam propter rationis identitatem in emptore dicendū foret, & ita ſe iure ordinario munire poteſt, neq; præſumptioni, tanquam iniquo ac odioſo remedio, contra conſcientiam inniti. *§. habeat. auth. ut Eccleſ. Rom. &c.* Præterea pactū cauſam

non

non incertam,ſed certam facit, nihilq; magis iuri ac rationi cõuenit, quàm ut pacta ſeruentur. *l. i. ff. de pact.* Porrò quod ad ductũ, meri arbitrij uel facultatis nõ cenſentur eſſe ea, quę in alterius præiudiciũ tendunt, & ſic uenditorẽ non merã facultatẽ, ſed ius quoddã redimendi habere, & ut Dynus aiebat, formatum, quod Ange. & cæteri ęſtimarũt. Sed quid queſo in hac propoſita facti ſpecie aliud eſt ius redimendi, quàm poteſtas ſeu facultas agendi ſecundũ pacti legẽ, cùm ex conuentione contractus legem accipiant. *d. c. contractus.* cum ſimilibus. Et cõmentũ hoc, quòd facultas redimendi magis referri debeat ad ius, quàm ad factum, iure ſatis non probatũ eſſe ſuprà declaratum extat, cõmunemq; ſententiã huic aduerſari.

Poſtremò non refert, emptorem malę fidei poſſeſſorem cenſeri non poſſe, cùm interea temporis ſit dominus, uerùm non irreuocabiliter, obſtat enim pactum, item malæ fidei poſſeſſorem, tametſi dominũ, tamen cõfirmationem ipſius præſcribere poſſe, ut *l. in bello. §. ſi quis ſeruum. ff. de capti. & poſtli. reuer.* Sed reſpondetur, ibi redimentem fuiſſe in bona fide, ut ex uerbis ipſius textus patet, ibi etſi ignorans captiuum exiſtimans uendentis. Præterea patet eo caſu fauorem redemptionis uerti ac in conſideratione habitam fuiſſe. Et in ſumma ſi hoc caſu præſcriptioni deferendum foret, deciperetur ſanè uenditor, qui ſe ſatis munitum pacto credebat, nec aliàs uenditurus fuiſſet, idque contra *l. 1. §. magiſtrum. ff. de*

exerci.

exerci. Nec huic obſtat quod dicitur: Ignorantiam iuris nemini patrocinari debere. Verùm hæc quæſtio non iure aperto deciſa, ſed doctorum commentis agitata reperitur, quos non ſolùm ignorare, ſed ab his melioribus rationibus diſſentire rationi conueniens eſt. Et quia pactum de redimendo fauorabile eſt, quo res ad priſtinam naturam ac ſuum dominum reuertitur, hocque cum uetuſtiſsimo Hebræorum iure, quod ipſius Dei eſt, cõuenit, quo quinquageſimo quoque anno, etiam precio non reſtituto, res ad dominos reuertebantur. Et Ezech. xviij. ſcriptum legitur: Qui hominem nõ contriſtauerit, pignus debitori reddiderit &c. hic iuſtus eſt, uita uiuet, dicit Dominus. Ideo interpretatione non ar-

ctandum,ſed potius iuuandum eſſe. Vulgata regula Iuris eſt, quà dicitur: fauores ampliandos, odia uerò reſtringenda eſſe. Quare ab hac ſententia, tanquam ęquiore, conſcientiæq; minus ſcrupuloſa, in iudicãdo recedendum non eſſe, exiſtimetur, & ſecundum eam in iudicio Camerę pronũciari, edoctus ſum.

De Cambijs. Cap. VIII.

SEd et Cambiorum uſus, cùm uel inſtar emptionis uel locationis ſe habere uidetur, ideo non inconcinnè ſubſequenter de his diſpiciendum erit. Et ſciendum, cambio uerbũ elegans eſſe et antiquiſsimũ, ſignificare ferè id, quod permutare, teſte Plauto, Apuleio, Priſc. atq; Ennio, unde campſor Latinè dictus, idem quod numularius, ſiue argen-

argẽtarius, Græcis uerò τραπεζίτης. At noſtri uocẽ Cambij inde deducunt, quę latina nõ eſt, & id ea uoce intelligi uolũt, quod & κόλλυβον Gręci dicũt, deductionẽ quandã, quam trapezitę ſubtrahunt, uel mercedis nomine, uel quia ipſorũ interſit, pecuniã, quam permutationis uice exhibẽt, potius ob monetæ uarietatẽ retinere. Et hinc cambiũ, ut nũc ſumitur, nihil aliud eſt, quàm negotiatio cõmutationis numiſmatum. Et hic Cambiorũ uſus an ſit licitus, primò tractandum uenit. Et Ariſt. li. 1. Pol. docet, caſu ac fortuna illũ eſſe inuentũ, ac demũ per experientiã in artẽ reductũ, uideturq́; eſſe contra naturã, dat enim Campſor pecuniã pro pecunia, quę ob id inuenta nõ eſt, ut uel per ſe uel per alias res ęſtimet, ſed ut oẽs res per eã æſtimatio

nem recipiant. Hinc fideiuſſoris uice eam fungi alibi docet, & eſt textus *in l. ſi ita. ff. de fideiuſſ.* eſtq́; illius æſtimatio publica atq; perpetua, ut *l. i. ff. de contra. emp. & uend.* Sed cam pſor nummos permutans, iuſtæ æſtimationis precium recipere ſolet, ideo & contra ordinationem publicam ac æquitatem iuſtitię cõmitti uidetur, & ob id cambij uel potius permutationis inſimulatione, re ipſa nihil aliud quàm uſuram exercet, ut Godof. Hoſti. & Archi. cæteriq́; cenſuerunt.

Sed Cambiorum uſum eſſe licitum, crebriore calculo receptum eſſe tradit Bald. *in reg. de conſti. pecu. & l. iij. ff. de exercit.* & ibidem Salice. Cano. *in c. in ciuitate. ext. de uſu.* Ioan. de Ana. *in c. nauiganti. eo.* Alex. de Imo. *in conſi. lxi. in ij. uol.* Iaſon. in *l. cun-*

l.cunctos populos. De ſum.trini. & fide catho. Idq; ea potiſsimùm ratione, quòd commutatio, quæ fit per Cãpſores, eſt opportuna, & ad negociandi facultatem perquàm neceſſaria: meritò igitur improbari nõ poſſe. Cùm enim mercatores in uarias ac longinquas regiones proficiſci oporteat, neq; ubiq; terrarũ eadem pecunia, idemq́ numiſmatum ualor atq; curſus, ſed ſingulæ regionũ partes, ac penè ciuitates, propriam ſuam pecuniam cudant, quæ & inibi ualeat, proin ut & periculum, moleſtia atque ſumptus, per diuerſa loca tranſportandi pecuniam euitetur, perquàm neceſſarius cambiorum uſus, & ad publicam utilitatem maximè pertinere uidetur.

Cæterùm & hunc contractum

multifariàm à cõtractu mutui diſ-ferre aſſerunt Doctores, utputa periculo, cùm campſor alio loco pecuniam pendendam procuret, item diuerſitate rei reſtituẽdæ, cùm eiuſdem generis moneta nõ reddatur. *arg. l. Paulus. ff. de Solutio.* Item & forma, cùm ſimilis ſit uenditioni, uel illius contractus innominati, ſcilicet do ut des, ut ecce, ſi ducatus 52. groſsis uendatur, uel aureus Rhenanus 24. groſsis Miſnenſ. & dimidio, uel paulò minus, quod utiq; licere docent Doct. & ad hoc allegatur *c. olim cauſa. & c. cùm Canonici. ext. de cenſib.* Vel ſi moneta aurea uel argentea, uel ecõtrà, reddatur. Et cùm hic contractus prorſus alienus ſit à contractu mutui, et propter cõmunem utilitatẽ pernecessarius, ideo & eo fine, quo & medicina cęterǫq; artes, licitè exerceri

poteſt: tametſi propter priuatũ cõmodũ priuati homines profeſsione ſua inſiſtant, ac uarios quæſtus nõ ſẽp æquè honeſtos procurẽt. Quare nõ niſi certis quibuſdã modis, ac in ſuis limitibus quaſi conſiſtens, licitè exercetur, utputa ex regula uniuerſali omniũ cõmutationũ, ut ſcilicet ſeruetur ęqualitas rei ad rẽ, & numiſma cõmutatũ ęquiualẽs ſit cõmutato, quod nõ tantũ bonitate intrinſeca, quàm exponendi cõmoditate, propter cõmunem ęſtimationem, tũ loci atq; temporis ratione æſtimari ſolet. Et ſi quid lucri ob id campſori obueniat, licitũ eſſe putatur, cũ hoc caſu inſtar uenditionis uel illius innominati contractus, ſcilicet do ut des, ſe habere tradatur, ut per Archi. *xiiij. q. c. i.*

Sed & Campſor, cùm ſummam pecuniæ

pecuniæ recipit, ut eam alio loco pendat, tum ſi inibi minus ualeret ea pecunia, quæ reſtituenda uenit, quàm loco quo data fuerat, non iniqua ratione id campſori lucro cedit. Inſuper cùm ea in re ſuam operam pręſtet, ut tranſportandi periculũ euitetur, ac inſtitores alioſq; miniſtros in eum uſum & fouere ac alere neceſſe habeat, ideo & ea ratione iuſtè aliquid ab eo accipi, ultra ſummam depoſitam, prodiderũt doctores. Ita tamẽ ne legitimus excedatur modus, quem pro qualitate rei, loci, temporis, perſonarũ, uiarum longinquarum, aliarumq; circumſtantiarum, ac boni uiri arbitrio moderari debent. Quapropter perperàm ac peruerſè agunt auari mercatores, qui cambij nomine plus æquo, & uel tres uel etiam

am quinq; aureos à centum, pręci-
puè à miſeris ſcholaribus ſtudio
optimarum artium operam dan-
tibus in longinquis partibus, acci-
piunt.

De Societate. Cap. IX.

CAeterùm & contractum Socie
tatis licitum eſſe, & acquiren-
dę rei aptiſsimum, nemo eſt qui am
bigat, ut tot tit. *ff. & C. pro ſocio*. dũ
modò in eo æqualitas ſeruetur,
tam in lucro quàm in damno com-
municando, ut *l. ſi non fuerint. ff. eo.*
Vnde ſi pactũ fuerit, ut unus dam-
num, alius uerò lucrum ſentiat, nul
lo iure ſubſiſtit, ſed leoninam ac
iniquiſsimam eam ſocietatem eſſe
Ariſto refert, Caſsium reprehen-
dens, ut *d. l. ſi non fuerint. §. Ariſto.*
Hinc ſubſequenter apparet, nec il-
lud

lud pactum, ut unus ſociorum duas partes lucri ferat, & tertiã damni: & econtrà, ut unus duas partes damni, & tertiam lucri ſentiat, licitum, ſed uſurarium eſſe, cùm lucrũ non intelligatur, niſi deducto damno, ut eſt textus *in l. Mutius. ff. pro ſo.* Sic nec illud ferendum, ut unus tres, & alius quartam lucri partem reportet, ac periculũ capitale ſit cõmune, cùm lucrũ cum maiori parte, & ſortis damnũ tantùm pro dimidia ſentiretur. Meritò igitur tale pactũ tanquam uſurariũ reprobatur, ut eſt glo *in l. cum duob. §. ſi aliàs Papinianus. ff. eo.* Semper enim inſiſtendũ regulæ, ut ęqualitas ſeruet. Hinc deciſum extat, ut ſi nihil dictũ ſit de parte dãni, uel econtrà, intelliguntur tales eſſe factas, quales ſunt lucri partes, & ecõtrà, ut *d. §. illud. Inſti. pro ſocio.*

Sanè

Sanè illud conſtat,ſi unus ſocio-rum pecuniam ſolùm, alter uerò operam uel induſtriã præſtet, licitũ eſſe pactum, tam iure ciuili, quàm Can. *ut l.i. C.pro ſo.et l.v.ff.eo.* cùm pauperior, ut inquit Vlpianus, ple-runq; opera ſuppleat, quantum ei per cõparationem patrimonij dee-rit, probatur *in c. per ueſtras. de do-nati. inter uir. & uxo.* Sed quid ſi con uentũ fuerit, ut unus duas partes lu-cri ac damni ſentiat, alius uerò ter-tiã tantũm, num & hoc pactum li-citum ſit? Et conſtat eſſe, ſi ille plus ſperans lucri etiã plus ſocietati, uel pecuniæ, uel operæ induſtriæue contulerit, ut *d.l. ſi nõ fuerint. in prin. & l. quid eum. in fi. ff. pro ſoc.* Arbi-trio enim boni uiri æſtimabitur il-lud, quod plus ſocietati collatum fuerit, ut *in l. propoſita. ff. eo.*

Sed

Sed rurſus, num ponenti pecuniam, cum altero præſtante, operã paciſci liceat, ut ſumma capitalis ſit ſibi ſalua, lucrum uerò diuidatur. Et conſtat licere, ut & glo. *in d. c. pleriq;*. docet. Bald. *in l. i. C. pro ſo. q. ix.* & ibi etiam per Sali. At contrarium docet Hoſti. in ſumma de uſu. hocq; pactum non ualere iure ſocietatis, ſed potius ui pacti. Inſuper re malè acta iniquum foret, hunc operam & oleum perdere, illum uerò qui pecuniam tantùm collocarat, indemnem ſeruari. Quare amplius hac in re deliberandum foret, niſi rurſus dicatur, ſi ſumma capitalis caſu deperdita eſſet, tunc etiam in illum, qui pecuniam cõtulit, ſolum damnum redundare, ut eſt glo. *in d. l. ſi non fuerint. §. i. ff. pro ſo.* & eſt doctrina Bar. *in l. i. C. eod.* Et

hoc

hoc caſu, quia par utriuſq; conditio, ſuperior ſententia defendi poſſet. Sed quid ſi pecuniam cõferat ea conditione, ut ſumma ſalua ſit, & lucrũ ad diſcretionem ſocij committatur? Et putant quidam ualere pactum, & hoc per textum *in c. quinta uallis. ext. de iureiu.* Sed quia ſub illo prætextu uariæ uſurarum fraudes exerceri poſſunt, & miſeri mercatores uel artifices ab ijs, qui pecuniam conferunt, etiam ad iniqua lucra urgeri, cùm ſummam repetant, ideo glo. *in c. pleriq;.* hoc pactum improbare uidetur, & Bald. Salicetusq; *in d. l. i. C. pro ſo.* dicunt hunc fucum fœtere uſq; ad aſtra.

CONRADVS PAVLVS DE VSVRIS LIBER TERTIVS.

De eo, quod intereſt. Cap. I.

ET CVM COLORE illius quod intereſt, uariæ uſurarum fraudes exerceantur, reliquũ eſt uidere, an ne illius nomine, illæſa conſcientia accedere ſorti quid poſſit? Et ſciendũ eſt, ſi cui uel pietatis ductu, uel amicitiæ cauſa, bona fide, pecunia, uel alia quæuis res mutuò data fuerit, eà etiam promptitudine ac fide reſtitui debere, non minus Iuris ratio, quàm & ſumma pietas admonet, cùm alienum ſit etiam à diuinis præceptis, alterum cum alterius iactura locupletari, ut Non furtum facies. Item, Non concupiſces rem proximi tui. Hinc pſalmi-

pſalmiſta inquit: Mutuatur impius, & non ſoluet, Iuſtus aũt miſeretur & retribuet. Si itaq; debitor admonitus, uel per diei dictę lapſum, tacitè uel expreſsè interpellatus, rẽ concreditam uel mutuò datã reſtituere malitioſè differat: tum etiam illud, quod uerè creditori ob morã interſit, etiam in conſcientiæ foro præſtari debere putandum, ut *l. Iulianus. §. idem Pomponius. de actio. emp. l. i. C. de ſen. quæ de eo quod interprofer. xij. q. ij. c. ſi quis. de cleri. & xiij. q. iij. in glo. & xiiij. q. iiij.*

Sed non modica eſt difficultas, qua ratione id iniri debeat. Et pro explicatione illius difficultatis, non alienum foret à noſtro inſtituto, hoc aliquando altius repetere. Sed quia hac de re integri extant tractatus illorum, qui ingenij ſui mo-

numenta poſteris reliquerũt, ideo operæprecium non eſt, illa omnia ad amuſsim diſcutere, ſed ea tantùm, quæ ad noſtrum inſtitutum maximè pertinere uidentur, obiter attingere, & quid Intereſſe appelletur, Quotuplex ſit, Et quomodo illius æſtimatio ineunda, quaſi in ſumma explicare.

Intereſſe quid ſit. Cap. II.

ET inprimis, quantum ad uocabuli ſignificationem attinet, Alciatus docuit, ueteres Intereſſe, nomine ſubſtantiuo uſos non fuiſſe, ſed id quod intereſt dixiſſe. Verùm illius doctrinam nõnulli improbarunt, per *l. quod ſæpe. in fi. ff. de contra. emp.* & in *l. debitor decem. ff. de leg. i.* Dicimus enim, tuum ſcire, &, ut Perſius ait, noſtrum illud uiuere triſte.

triſte. Et, Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno. Cur nõ etiam dicendum, tuum intereſſe. Eſtq; compoſitum ex in & re, & eſt quaſi in re eſt: dicimus enim, mea intereſt, hoc eſt, mea in re, id eſt, utilitate eſt, utputa cùm res mutuò data nõ reſtituatur, ex re mea eſt, uel lucrũ ne amittam, uel quod damnum patiar.

Quod uerò ad rem attinet, Accurſius dupliciter definiuit. Vno modo, ut ſit ſingulare rei precium: altero, ut ſit damnum emergens, & lucrũ ceſſans: & hanc probarunt Marti. Iacob. Bu. Bal. Et ex antiquis maior pars, Bartolus uerò inquit, Intereſſe appellari cùm non lucrũ ceſſat, ſed damnum, & è conuerſo lucrum emergit. Dynus autem in quantitate damni ęſtimatio-

nem dixit. Sed ut inquit Alciatus in tractatu, quē de eo quod inte. ſcripſit, omnes hæ definitiones, & ſi quæ ſint aliæ ab alijs traditæ, mutuis telis ſe conficiunt, cùm certa eius rei definitio tradi non poſsit. Siquidem Paul. Iurecon. de reg. iu. quatenus cuiuſq; interſit, in facto, non in iure conſiſtere ait, & definitiones nō quæ facti, ſed iuris ſunt, determinari ſolere. Itaque fruſtra ambigi, certa uerborum formula hoc deſcribere uelle, modicæq; utilitatis eſſe. Verùm & hanc ſententiam improbari ea ratione reliqui tradidere, ut quatenus in facto cōſiſtat, incertum quidem eſſe, ſed quia certificandum uenit per probationem ac ſententiā Iudicis, própter quod condictionem certi pro eo competere conſtat, ut *l. certi condictio:*

dictio.& ibi glo.& dd.*ff.ſi cer.peta.* Quare etiam idipſum definiendũ non ueniret: niſi rurſus dicatur, quod, dum certificandũ primo ue- nit, quomodo illud definiri poſsit, cùm non entis nullæ ſint partes. Sed reſpondetur ex Baldi ſenten- tia, quòd Intereſſe præteritũ & fu- turum, eodem iure ueniat, & pro utroq; cõdictionẽ incerti intẽtari, nec quicquam obeſſe quod à prin- cipio non ſit certũ, quia id quod in proceſſu cauſæ certificatur, retrò certum eſſe fingitur, ut habetur *ff. depoſi.l.i.§.ſi quis argentũ.* Ac ideo id quod intereſt damni dati, uel lucri ceſſantis æſtimationem eſſe, re- ctè definiri poſſe traditum eſt. Et hanc definitionem ex uerbis Pau- li Iurecon. *in l. ſi commiſſa. ff. rem ratam ha.* elici, ubi ſi commiſſa,

inquit,ſit ſtipulatio,rem ratam habiturum, agitur ad id quod intereſt , id eſt quantũ mihi abeſt,quantúmque lucrari potui : niſi dixerit quis deſcriptionẽ potius hanc eſſe, quàm iuſtam ac legitimam quandam definitionem,& illis etiam ueteres Iuriſcon.potiſsimùm uſi ſunt, ut *l.i.ff.de reg.Catonia*.cùm alioqui dici ſoleat, Definitiones omnes in Iure periculoſas eſſe.

Quotuplex ſit Intereſſe. Cap. III.

CAeterùm triplicem eius eſſe ſpeciem tradiderunt Doctores,ut Singulariter, quod in perſona petentis conſideratur.Communiter, quod communi ęſtimatione, & ex conuentione. Vt finge,uendidi tibi fundum reditus aureorum ſex

ſex in annos, dein accepta pecunia non trado, tu tandem mecum agis, Iudex id quod intereſt æſtimabit. Si ſingulariter ęſtimaturus, accidere poſſet, tua xx. interfuiſſe, quod ſtatim non tradiderim, uel ex probabili aliqua affectione, uel ducta alicuius damni ratione, quod tibi euenerit. Si uerò cõmuniter ineatur, fortaſſe tua non referret xij. & ſi in eo contractu adfuiſſe pactionem conſtiterit, ut ſi è ueſtigio non traderem, dena tibi rependerem, dicetur ex conuentione decem interfuiſſe, ut hæc declarantur & habẽtur in glo. *l. i. ff. de acti. emp.* & glo. *l. rem. C. de ſen. quæ pro eo quod inte. profer.* Verùm Alciatus & cæteri recentiores, has diuiſiones iure probatas non eſſe docuerunt, ueteribus autem prorſus inuſitatas, nec

pecuniæ recipit, ut eam alio loco pendat, tum ſi inibi minus ualeret ea pecunia, quæ reſtituenda uenit, quàm loco quo data fuerat, non iniqua ratione id campſori lucro cedit. Inſuper cùm ea in re ſuam operam preſtet, ut tranſportandi periculũ euitetur, ac inſtitores alioſq; miniſtros in eum uſum & fouere ac alere neceſſe habeat, ideo & ea ratione iuſtè aliquid ab eo accipi, ultra ſummam depoſitam, prodiderũt doctores. Ita tamẽ ne legitimus excedatur modus, quem pro qualitate rei, loci, temporis, perſonarũ, uiarum longinquarum, aliarumq; circumſtantiarum, ac boni uiri arbitrio moderari debent. Quapropter perperàm ac peruerſè agunt auari mercatores, qui cambij nomine plus æquo, & uel tres uel etiam

am quinq; aureos à centum, præcipuè à miſeris ſcholaribus ſtudio optimarum artium operam dantibus in longinquis partibus, accipiunt.

De Societate. Cap. IX.

CAeterùm & contractum Societatis licitum eſſe, & acquirendæ rei aptiſsimum, nemo eſt qui ambigat, ut tot tit. *ff. & C. pro ſocio.* dũ modò in eo æqualitas ſeruetur, tam in lucro quàm in damno communicando, ut *l. ſi non fuerint. ff. eo.* Vnde ſi pactũ fuerit, ut unus damnum, alius uerò lucrum ſentiat, nullo iure ſubſiſtit, ſed leoninam ac iniquiſsimam eam ſocietatem eſſe Ariſto refert, Caſsium reprehendens, ut *d. l. ſi non fuerint. §. Ariſto.* Hinc ſubſequenter apparet, nec illud

lud pactum, ut unus ſociorum duas partes lucri ferat, & tertiã damni: & econtrà, ut unus duas partes damni, & tertiam lucri ſentiat, licitum, ſed uſurarium eſſe, cùm lucrũ non intelligatur, niſi deducto damno, ut eſt textus *in l. Mutius. ff. pro ſo.* Sic nec illud ferendum, ut unus tres, & alius quartam lucri partem reportet, ac periculũ capitale ſit cõmune, cùm lucrũ cum maiori parte, & ſortis damnũ tantùm pro dimidia ſentiretur. Meritò igitur tale pactũ tanquam uſurariũ reprobatur, ut eſt glo *in l. cum duob. §. ſi aliàs Papinianus. ff. eo.* Semper enim inſiſtendũ regulæ, ut ęqualitas ſeruet. Hinc deciſum extat, ut ſi nihil dictũ ſit de parte dãni, uel econtrà, intelliguntur tales eſſe factas, quales ſunt lucri partes, & ecõtrà, ut *d. §. illud. Inſti. pro ſocio.*

Sanè

Sanè illud conſtat, ſi unus ſociorum pecuniam ſolùm, alter uerò operam uel induſtriā præſtet, licitū eſſe pactum, tam iure ciuili, quàm Can. *ut l. i. C. pro ſo. et l. v. ff.* eo. cùm pauperior, ut inquit Vlpianus, plerunq; opera ſuppleat, quantum ei per cōparationem patrimonij deerit, probatur *in c. per ueſtras. de donati. inter uir. & uxo.* Sed quid ſi conuentū fuerit, ut unus duas partes lucri ac damni ſentiat, alius uerò tertiā tantūm, num & hoc pactum licitum ſit? Et conſtat eſſe, ſi ille plus ſperans lucri etiā plus ſocietati, uel pecuniæ, uel operæ induſtriæue contulerit, ut *d. l. ſi nō fuerint. in prin. & l. quid cum. in fi. ff. pro ſoc.* Arbitrio enim boni uiri æſtimabitur illud, quod plus ſocietati collatum fuerit, ut *in l. propoſita. ff. eo.*

Sed

Sed rurſus, num ponenti pecuniam, cum altero præſtante, operã paciſci liceat, ut ſumma capitalis ſit ſibi ſalua, lucrum uerò diuidatur. Et conſtat licere, ut & glo. *in d. c. pleriq;*. docet. Bald. *in l. i. C. pro ſo. q. ix.* & ibi etiam per Sali. At contrarium docet Hoſti. in ſumma de uſu. hocq; pactum non ualere iure ſocietatis, ſed potius ui pacti. Inſuper re malè acta iniquum foret, hunc operam & oleum perdere, illum uerò qui pecuniam tantùm collocarat, indemnem ſeruari. Quare amplius hac in re deliberandum foret, niſi rurſus dicatur, ſi ſumma capitalis caſu deperdita eſſet, tunc etiam in illum, qui pecuniam cõtulit, ſolum damnum redundare, ut eſt glo. *in d. l. ſi non fuerint. §. i. ff. pro ſo.* & eſt doctrina Bar. *in l. i. C. eod.* Et

hoc

hoc caſu, quia par utriuſq; conditio, ſuperior ſententia defendi poſſet. Sed quid ſi pecuniam cõferat ea conditione, ut ſumma ſalua ſit, & lucrũ ad diſcretionem ſocij committatur? Et putant quidam ualere pactum, & hoc per textum *in c. quia ta uallis. ext. de iureiu.* Sed quia ſub illo prætextu uariæ uſurarum fraudes exerceri poſſunt, & miſeri mercatores uel artifices ab ijs, qui pecuniam conferunt, etiam ad iniqua lucra urgeri, cùm ſummam repetant, ideo glo. *in c. pleriq;.* hoc pactum improbare uidetur, & Bald. Salicetuſq; *in d. l. i. C. pro ſo.* dicunt hunc fucum fœtere uſq; ad aſtra.

CONRADVS PAVLVS DE VSVRIS LIBER TERTIVS.

De eo, quod intereſt. Cap. I.

ET CVM COLORE illius quod intereſt, uariæ uſurarum fraudes exerceantur, reliquũ eſt uidere, an ne illius nomine, illæſa conſcientia accedere ſorti quid poſſit? Et ſciendũ eſt, ſi cui uel pietatis ductu, uel amicitiæ cauſa, bona fide, pecunia, uel alia quæuis res mutuò data fuerit, eà etiam promptitudine ac fide reſtitui debere, non minus Iuris ratio, quàm & ſumma pietas admonet, cùm alienum ſit etiam à diuinis præceptis, alterum cum alterius iactura locupletari, ut vij. Non furtum facies. Item, Non concupiſces rem proximi tui. Hinc pſalmi-

pſalmiſta inquit: Mutuatur impi-
us, & non ſoluet, Iuſtus aũt miſere
tur & retribuet. Si itaq; debitor ad-
monitus, uel per diei dictę lapſum,
tacitè uel expreſsè interpellatus, rẽ
concreditam uel mutuò datã reſti-
tuere malitioſè differat: tum etiam
illud, quod uerè creditori ob morã
interſit, etiam in conſcientiæ foro
præſtari debere putandum, ut *l. Iu
lianus. §. idem Pomponius. de actio.
emp. l. i. C. de ſen. quæ de eo quod inte-
profer. xij. q. ij. c. ſiquis. de cleri. & xiij.
q. iij. in glo. & xiiij. q iiij.*
Sed non modica eſt difficultas,
qua ratione id iniri debeat. Et pro
explicatione illius difficultatis, non
alienum foret à noſtro inſtituto,
hoc aliquando altius repetere. Sed
quia hac de re integri extant tracta
tus illorum, qui ingenij ſui mo-

numenta poſteris reliquerũt, ideo operæprecium non eſt, illa omnia ad amuſsim diſcutere, ſed ea tan- tùm, quæ ad noſtrum inſtitutum maximè pertinere uidentur, obiter attingere, & quid Intereſſe appel- letur, Quotuplex ſit, Et quomodo illius æſtimatio ineunda, quaſi in ſumma explicare.

Intereſſe quid ſit. Cap. II.

ET inprimis, quantum ad uoca- buli ſignificationem attinet, AL- ciatus docuit, ueteres Intereſſe, no- mine ſubſtantiuo uſos non fuiſſe, ſed id quod intereſt dixiſſe. Verùm illius doctrinam nõnulli improba- runt, per *l. quod ſæpe. in fi. ff. de con- tra. emp.* & in *l. debitor decem. ff. de leg. i.* Dicimus enim, tuum ſcire, &, ut Perſius ait, noſtrum illud uiuere

triſte.

triſte. Et, Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno. Cur nõ etiam dicendum, tuum intereſſe. Eſtq́; compoſitum ex in & re, & eſt quaſi in re eſt: dicimus enim, mea intereſt, hoc eſt, mea in re, id eſt, utilitate eſt, utputa cùm res mutuò data nõ reſtituatur, ex re mea eſt, uel lucrũ ne amittam, uel quod damnum patiar.

Quod uerò ad rem attinet, Accurſius dupliciter definiuit. Vno modo, ut ſit ſingulare rei precium: altero, ut ſit damnum emergens, & lucrũ ceſſans: & hanc probarunt Marti. Iacob. Bu. Bal. Et ex antiquis maior pars, Bartolus uerò inquit, Intereſſe appellari cùm non lucrũ ceſſat, ſed damnum, & è conuerſo lucrum emergit. Dynus autem in quantitate damni ęſtimatio-

nem dixit. Sed ut inquit Alciatus in tractatu, quē de eo quod inte. ſcri pſit, omnes hæ definitiones, & ſi quæ ſint aliæ ab aliȷs traditæ, mutuis telis ſe conficiunt, cùm certa eius rei definitio tradi non poſsit. Siquidem Paul. Iurecon. de reg. iu. quatenus cuiuſq; interſit, in facto, non in iure conſiſtere ait, & definitiones nō quæ facti, ſed iuris ſunt, determinari ſolere. Itaque fruſtra ambigi, certa uerborum formula hoc deſcribere uelle, modicæq; utilitatis eſſe. Verùm & hanc ſententiam improbari ea ratione reliqui tradidere, ut quatenus in facto cōſiſtat, incertum quidem eſſe, ſed quia certificandum uenit per probationem ac ſententiā Iudicis, propter quod condictionem certi pro eo competere conſtat, ut *l. certi condictio:*

dictio. & ibi glo. & dd. *ff. ſi cer. peta.* Quare etiam idipſum definiendũ non ueniret: niſi rurſus dicatur, quod, dum certificandũ primo ue- nit, quomodo illud definiri poſsit, cùm non entis nullæ ſint partes. Sed reſpondetur ex Baldi ſenten- tia, quòd Intereſſe præteritũ & fu- turum, eodem iure ueniat, & pro utroq; cõdictionẽ incerti intẽtari, nec quicquam obeſſe quod à prin- cipio non ſit certũ, quia id quod in proceſſu cauſæ certificatur, retrò certum eſſe fingitur, ut habetur *ff. depoſi. l. i. §. ſi quis argentũ.* Ac ideo id quod intereſt damni dati, uel lucri ceſſantis æſtimationem eſſe, re- ctè definiri poſſe traditum eſt. Et hanc definitionem ex uerbis Pau- li Iurecon. *in l. ſi commiſſa. ff. rem ratam ha.* elici, ubi ſi commiſſa,

inquit, ſit ſtipulatio, rem ratam habiturum, agitur ad id quod intereſt, id eſt quantũ mihi abeſt, quantúmque lucrari potui: niſi dixerit quis deſcriptionẽ potius hanc eſſe, quàm iuſtam ac legitimam quandam definitionem, & illis etiam ueteres Iuriſcon. potiſsimùm uſi ſunt, ut *l. i. ff. de reg. Catonia.* cùm alioqui dici ſoleat, Definitiones omnes in Iure periculoſas eſſe.

Quotuplex ſit Intereſſe. Cap. III.

CAeterùm triplicem eius eſſe ſpeciem tradiderunt Doctores, ut Singulariter, quod in perſona petentis conſideratur. Communiter, quod communi ęſtimatione, & ex conuentione. Vt finge, uendidi tibi fundum reditus aureorum ſex

ſex in annos, dein accepta pecunia non trado, tu tandem mecum agis, Iudex id quod intereſt æſtimabit. Si ſingulariter ęſtimaturus, accidere poſſet, tua xx. interfuiſſe, quod ſtatim non tradiderim, uel ex probabili aliqua affectione, uel ducta alicuius damni ratione, quod tibi euenerit. Si uerò cõmuniter ineatur, fortaſſe tua non referret xij. & ſi in eo contractu adfuiſſe pactionem conſtiterit, ut ſi è ueſtigio non traderem, dena tibi rependerem, dicetur ex conuentione decem interfuiſſe, ut hæc declarantur & habẽtur in glo. *l.i.ff.de acti.emp.* & glo. *l.rem.C.de ſen. quæ pro eo quod inte. profer.* Verùm Alciatus & cæteri recentiores, has diuiſiones iure probatas non eſſe docuerunt, ueteribus autem prorſus inuſitatas, nec

ulla lege probari, ideo parũ referre circa has defatigari. Nã quidquid ad me pertinet qualitercunq; dum non iniuſtè pertineat, mea intreſſe dicitur, Noſtra enim refert, ne quicquam iurium noſtrorum perdi-tum & imminutũ eat: igitur ſi hoc, quod intereſſe uocãt, generaliter accipiatur, omnes ſpecies cõprehendit, et quidem propriè, cùm ſpecies ſuo generi propriè inſit, *l. prætor ait, de ſuis & legi.* Ex quo ſequitur, in eo quod intereſt, etiã rei preciũ uerſari, idq́; tum potiſsimũ, cùm in-certũ eſt: et ſic debet intelligi textus qui pro cõmuni doctrina allegari ſolet, *in l. qui tabu. ff. de fur. et l. iij. §. cõdemnatio. ff. de ta. exhi.* Si uerò certũ, tum rarius eo nomine nuncupari, quoniã aliud nomen, et quidẽ elegã-tius, uidelicet ęſtimatio, uel preciũ,

quo

quo frequentius appellatur, habet. Sic idem de pœna dicendũ, nec admittendum facilè, ut nomine illius Intereſſe conuentũ ueniat, ſicq́; conſilium Venuleij in *l.fi.ff.de prætor. ſtipula.* contra cõmunem retorquetur: cùm enim ibi cautũ ſit, ſatius eſſe, certã ſummã, loco eius quod interſit, adijcere, quàm pœnã propriè ac ſuo nomine potius appellare cõuenit, quàm intereſſe conuentũ. Sic idem dicendũ in *l.procur. §.fi. ff. ad exhiben. & l.ſtipulatio.habere licere § alteri.de uer.obl.* Itaq; nõ dubitandũ, id quod intereſt generaliter dici poſſe. Quòd uerò aliud ſit æſtimabile, aliud quod petatur, aliud inæſtimabile, aliud quod peti nõ poſsit, Sintque hæ eius ſpecies, nequaq̃ Dialecticę peritus quis dixerit, cũ potius accidentia ſint, quę ſpeciẽ diuerſam
non

non faciunt, quemadmodum & illud, quod eſt intra rem, uel extra, uel effectionis cauſa in ſpecie non differre, quoniam & hæ uoces: Intrinſecum uel extrinſecum, barbaræ ſunt, & à Doctoribus confictę, nec iuri ciuili ſpecialiter appoſitæ reperiuntur, ut aliquid in eo quod intereſt denotent, nec idcirco magis ratione eius duci, quia extrinſecus interſit: ſiquidem res conſiderantur, & non uerba. Quare in hoc omnis conſiſtit rei ſumma, qua ratione id quod intereſt iniri debeat, & quod peti, & æſtimari poſsit, idq; ſalua conſcientia, quod potiſſimum noſtri eſt inſtituti.

Aeſtimatio illius quod Intereſt, in cuiuſuis arbitrio non conſiſtit. Cap. IIII.

Quare

QVare illud inprimis ſciendũ, id quod intereſt, non ex cuiuſuis arbitrio, uel furore auaritiæ pendere, ſed certis in iure expreſſis quaſi limitibus poſitum eſſe, ac in uiri boni arbitrio cõſiſtere, quod Vlpia. *l.i.ff.de uſu.* teſtatur, ubi inquit: Cùm in iudicio bonę fidei diſceptatur, arbitrio iudicis, uſurarũ modus, ex more regionis ubi contractum eſt, conſtituitur, ita tamen ut legem non offendat. Et cùm uſurarum tractatus non tam ad regulas iuris ciuilis, quâm legis diuinæ precepta conſiderari debeat, ideoque ſequitur, iudicem qui Chriſti nomen profitetur, ea inprimis in hoc tractatu animaduertere debere, nè in hac re, quõd à diuinis abhorreat præceptis, quicquam ſtatuat, neque peruerſorum hominum

conſuetu.

conſuetudinem, tametſi inueteratam ſequitur. Siquidem conſtat, illos peruerſiſsimè agere, qui rei illicitæ ac turpi lucro dediti, miſeros debitores lactare ac circumducere ſolent, uorſuram ex uorſura facere cogunt, ac ob leuiſsimam quandam offenſam, uel quòd uſura ad illorum nutum non pendatur, pecuniæ ſummam mutuò datam repetunt, atq; alteri ſtatim addicunt: & ni ipſa die ſtatuta reddatur, tum protinus inflantur, dira ac hoſtilia moliuntur, ac quaſi uſque ad rabiem inſaniunt, nec ullo modo compeſci uel ſedari poſſunt, quin omne illud, quod illorum interfuiſſe proponant, ſolutum fuerit. Quod genus hominum ſanè omni odio, omniq; execratione digniſsimum, cùm propriè illi ipſi ſint, de quibus

Prophe.

Prophe. Eſa. cap. xxxiij. inquit: Qui ex calumnia uſuram accipiunt, & coanguſtant proximum.

Modus illius quod intereſt, à Iuſtiniano præſcriptus. Cap. V.

CAeterùm cùm Imperator Iuſtinianus, modum illius quod intereſt, ſtatuerit, in *l. unica.* C. *de ſen. quæ de eo quod inte. pro.* operæprecium eſſe puto, eam conſtitutionem hic inſerere, & quantum operis noſtri fert inſtitutum, obiter declarare, is inquit: Cùm de eo q̃d intereſt, dubitationes antiquæ in infinitũ productę ſint, melius nobis uiſum eſt, huiuſmodi difficultatẽ prout poſsibile eſt, in anguſtũ coarctare. Sancimus itaq; in omnib. caſibus, qui certã habent quantitatẽ uel naturam, ueluti in uenditioni-

bus

bus & locationibus, & in omnibus contractibus, hoc quod intereſt, dupli quantitatem minimè excedere, in alijs autem caſibus, qui incerti eſſe uidentur, iudices, qui cauſas dirimendas ſuſcipiunt, per ſuam ſubtilitatem requirere, ut hoc quod reuera inducitur damnũ, hoc reddatur, & non ex quibuſdam machinationibus & immodicis peruerſionibus in circuitus inextricabiles redigatur, ne dum in infinitum cõputatio reducatur, pro ſua impoſſibilitate cadat, cùm ſcimus eſſe naturæ congruum, eas tantummodò pœnas exigi, quæ uel cum competenti moderamine proferuntur, uel à legibus certo fine ſtatuuntur, & hoc non ſolùm in damno, ſed etiam in lucro, noſtra amplectitur cõſtitutio: quia ex eo ueteres quod

intereſt

intereſt ſtatuerunt, & ſit omnibus ſecundum quod dictum eſt finis antiquæ prolixitatis, huius conſtitutionis recitatio

Contractus qui certi, uel incerti ſint. Cap. VI.

ET cũm Imperator duplici ſectione, hac conſtitutione, modum illius quod intereſt, præſcripſerit, ut primò eorum, quæ certã quantitatem uel naturam habere dicuntur. Secundò, quæ incerta eſſe uidentur. Et tametſi uariè circa illa quæ certam quantitatem uel naturã habent, diſceptetur, ut latiſsimè refert d. Alcia. in tractatu ſuo ſuprà dicto, tandem ipſe pro ſui ingenij induſtria inquit, per certam quantitatẽ intelligi ea, quę expreſſè ſolent deduci in cõtractum, pu-

ta precium & rem per certam naturam,quę tacitè de natura contractus recepta ſunt , cùm ea natura contractus dici ſoleant,quæ tametſi non exprimantur,in eum deducta intelligamus,uel ex conſuetudine, uel ex alia cauſa, ueluti in emptione de natura contractus eſt, ut præſtetur euictio.*l.pacta.ff.de contrah. emp.*Quod inductū ex eo uidetur,quoniā aſsidua conſuetudo fuit,ut præſtaretur. Si itaq; uendo uel loco tibi domū centenis,hic cōtractus certæ quantitatis eſt: trado Stichum,eſt certę ſpeciei,quę facilè ęſtimationē capit.Mutuò dedi centū frumēti modios, tu recepiſti,negas æquè bonū reddere, hic cōtractus habet certā naturam,de eius.n. natura eſt,ut æquè bonū reddatur, idq; iudex ex conſtitutione hac æſtimaturus eſt.

Illi uerò contractus, qui certam quantitatem uel naturam reſpectu ſui adiuncti non habent, incerti eſſe dicuntur. Nam id quod intereſt, non in iure, ſed in facto conſiſtere ſuprà relatum eſt, ut *l. quatenus. de reg. iu.* Solent autem ea facti appellare, quorum uis eſt dubia, & omnis à probationibus pẽdet. Igitur in tractatu eius quod intereſt, certitudo uel dubietas non accipienda, ratione obligationis, uti fit in obligatione dandi, faciendiue, quod Accur. credidit, nec accipienda ab eo, quod in obligationem deducatur, quod Matth. opinatus eſt. Sed id quærendum, poſsit ne protinus probari, an non, ut in uenditione, & locatione, cùm de precio cõuentũ ſit: clarũ eſt, ſi cõuenta nõ ſeruentur, minus intereſſe nequaquam poſſe

quàm ſit precium. Et ideo cùm hic contractus reſpectu probationis euidens ſit, certus dicitur. Idem in pacto eundi Romã, ſi uiciſsim promiſſa ſit pecunia, & ſi quæ ſimilia, ut declarat Bart.

Id quod intereſt, dupli quantitatem non excedere. Cap. *VII.*

ET quod ſubdit Imperator, duplicem quantitatem minimè excedere, meritò quęrendum uenit, duplum id quemadmodum colligendum? Et cùm textus dicat, in contractibus certis (qualis eſt emptio & locatio) id quod intereſt, dupli quantitatem minimè excedere, conſtatque his in contractibus uerſari precium, *§. precium. Inſt. de contrah. emp.* Idque eſſe, quod æſtimationem conuentam appellant Docto.

Docto. & hanc duplari, patet etiam ex Vlpiani reſponſo *in l.i. ff. de actio. emp.* is tradidit: Si res uendita non tradatur, in id quod emptoris intereſt agi, hoc autem interdum precium egreditur. Et cùm Iuris conſultus nō ſtatuat ſummam, ad quam uſq; protendatur, intelligendum egredi uſque ad duplum, ut hac lege cautum eſt, cum ratione ſimpli dictum, id nemo negare poſſet, cū in duplo ſimplum inſit. *§. tripli. Inſti. de actio.* & ſit ipſa æſtimatio. At æſtimatio rei alia pręter conuentam eſſe non poteſt, cùm ea communem tollat. Nam & in uenditione quod conuentū eſt, ſemper attenditur, cætera negliguntur.

Aeſtimatio illius quod Intereſt, quomodo ineunda. Cap. VIII.

SEd reliquum eſt declarare illa uerba, ut quod reuera inducitur damnum, hoc reddatur, & id inueſtigandum, quemadmodum ipſius quod intereſt æſtimatio ineunda ſit, hoc enim eſt damnum reddere. Et cùm certum ſit, quòd id quod intereſt non niſi relatiuè intelligi poſsit, ac uariarum rerum & circumſtantiarum reſpectu conſiderari. Sed cùm Iuris interpretes, an intrinſecus uel extrinſecus quid interſit diſceptarint, idque ſingulariter, uel communiter, uel ex conuentione, & quaſi ad has ſpecies uel potius accidentia, quicquid huius rei eſt, referre conati ſint, rem quaſi inextricabilem reddidere. Verùm enimuero, cùm quamlibet doctrinam incertos locos complecti conueniens ſit, ideo id quod intereſt,

tereſt, commodius ita diſtribui, ſaluo tamen aliorum iudicio putarimi, idq; *arg. §. plus. Inſt. de actio.* utputa, re, tempore, loco, ac cauſa.

Re. Veluti ſi Stichus ex qua cauſa, puta legati debeatur, & is antequam traderetur occiſus fuerit: tum ſi de eius precio inter partes conuentum, modò certum id ſit, & omnis dolus uel fraus uſurarum abſit, dubium non eſt, id præſtandum eſſe, ut Azo in tit. *de eo quod in te.* docet. Si autem de precio non conuenit ac incertum, tum id ex communi uſu æſtimandum eſſe, Paulus Iuris conſul. tradit, in *l. precia. ff. ad l. Falci.* Nec enim affectionis cauſa condemnationem adaugendam,

ut *l. qui ſeruum ff. ad l. Aquil.* Vt ſi ſeruum meum quis occiderit, ex lege Aquilia in eius precium condemnari, nec idcirco pœna adaugenda, quòd eum ualde amarim, quodq́; ex paterna hæreditate ad me peruenerit In actionibus tamen bonę fidei affectionis rationem habendã, Papinianus ſcripſit, *l. cùm ſeruus. ff. manda.* indeq́; actionẽ dari. *l. fideiuſſoris. ff. de pact.* quod in ſtricti iuris iudicijs contra, niſi fauor minorum tum quoq; dari ſuadeat. *l. ſi in emptione ff. de rei uendi.* ut hæc Bar. Salice. cæterique omnes tradiderunt.

Verùm hanc diſtinctionem non ſatis probatam eſſe, Alcia. cõmonſtrat, ipſeq; aliter hanc rem explicat. Cùm enim agimus (inquit) ut ius noſtrum conſeruetur, nec quicquam

quam depereat, affectionis ratio-
nem habendam eſſe. *l. in fundo. de rei uendi.* Idemq; Iuris, cùm res noſtra
deperdita eſt: & id agimus, ut recu
peretur in his, quæ facultatem re-
cuperandi habent. *l ſi in emptione. ff. de iuniori. & l. qui libertus qui ſol-
uendo. ff. de bo. liber.* Et hæc ea ratio-
ne, qua noſtra teneri intereſt, quod
ſi de rerum æſtimatione tractetur,
ea tam in bonæ fidei quàm ſtricti
Iuris contractibus, ex affectu non
augenda. *d. l. precia. d. l. cùm ſeruus.*
Sed an ex huiuſmodi affectione a-
ctio detur, cùm quærimus, & ſi ex-
preſsè conuenit, dubium nõ eſt da-
ri, idq; ſiue bonæ fidei, ſiue ſtricti
Iuris ſit actio. *d. l. cùm ſeruus.* Si uerò
nihil expreſsè eſt actum, & in bonę
fidei contractu facilius actum pręſumitur, *d. l. cùm ſeruus. ff. manda. l. i.*

§. ij. ff. de tute. & ratio. diſ. quàm in cæteris. Sed etiam in contractu ſtricti iuris tacitè ita conuentũ fuiſſe pręſumitur, ſi fauor dotis ſubſit, ut *l. patronus. de euict.* Vel aliter ita æquitas ſuadeat.

Sanè illud conſtat, ut quæ continenter ex ipſa re proueniunt, ut ſunt fructus & partus ancillarum, cùm pars rei eſſe cenſeantur, illius rationem ſemper habendam eſſe, ut *l. uideamus. ff. de uſu. l. item ueniunt. §. item non ſolum. ff. de peti. hære. l. ſi fundus certo die. de uerbo. obli.* Sed & illud monendum, in fructu enumeranda eſſe ea, quę locata re, mercedis nomine accipiuntur, item cõmoditas eundi uehendiq́; , ſi actus uel iter petitum fuerit, ut *d. l. uideamus. §. fi.* Ea uerò quæ non ex ipſa re continenter, ſed aliundè, ex accidenti

cidenti proueniunt, in æſtimatione non habentur, ut *l. ſi ſterilis. §. cùm per uenditorem. ff. de actio. emp.* Vbi Paulus inquit: Cùm per uenditorem ſteterit, quo minus rem tradat, omnis utilitas emptoris in æſtimationem uenit, quæ modò circa rem conſiſtit, neque enim ſi potuit ex uino puta negotiari & lucrum facere, id æſtimandum eſt, non magis, quàm ſi triticum emerit, & ob eam rem quòd non ſit traditum, familia eius fame laborauerit.

Sed hic conuenienter attingenda uenit illa quæſtio, de qua apud Docto. magna eſt contentio, num hæreditas ſeruo delata, intrinſecum uel extrinſecum intereſſe dicatur. Et Barto. quem cæteri ferè omnes ſequuntur *in d. l. unica.*

in

in vi. col. extrinſecum eſſe tradidit, quia inquit, non ex ipſa re, ſed occaſione eius prouenit: At alij contra. Cùm enim hæreditas ſeruo deferatur, ſemper & quocunq; illam concomitatur, meritò intrinſecum dici, idq; eo argumēto, quòd ſeruitutes prędiū ſequātur, in quemcunque etiam transferatur, & tamen in bonis noſtris non eſſe, Paul. Iure conſul. tradidit, in *l. i. ff. de uſufruc. leg.* Præterea ſi ſeruus occiſus fuerit, certè in omnem hæreditatem teneri Neratius reſpondit, ut *l. unde Neratius. ad l. Aquil.* At recentiores in hac quęſtione ita diſtinguendum eſſe putant, hæreditatem ſeruo delatam in rationē illius quod intereſt non uenire, ſi iuſſu petentis adita non fuerit, ſed communi uſu ęſtimandum ſeruum, ut *l. precia rerum.*

rum.ff.ad l. Falci. cùm certus non fuerit de iure ſuo, potuit enim ſeruus non adire, etiamſi dominus uel minis uel precibus eum adegiſſet. Itaq; dici non poteſt, hæreditatem ſeruo delatam quocunq; concomitari, cùm in bonis petentis nec uerè nec cauſatiuè fuerit: Secus autē, ſi iuſſu ipſius adita fuerit, quia cùm iam certum & quæſitum ſit ius, & pars ſerui quodãmodo ſit effecta, ut eſt textus *in l. uenditor. ff. de euict.* tunc intrinſecum intereſſe dici, & in rationem illius quod intereſt uenire certum eſt. Et ad argumentū à ſimili de ſeruitutibus reſpondetur, quòd etiamſi *in d. l. i.* dicatur, ſeruitutes in bonis noſtris non eſſe, imò nec etiã extra bona noſtra ſunt, ut in textu ſubſequitur. Sed hęc omnia ſecundum quid, & non ſim-

ſimpliciter, ut ibi declarat glo. intelligenda. Et quòd in bonis noſtris ſunt, patet ex regula generali *l. rem in bonis. ff. de acqui. re. domi. l. bonorum appellatione. de uerb. ſig.* Et quia propter eas parata eſt reo exceptio, & actori actio, quare non etiam hæ in rationem eius quod intereſt uenire debeant, ut *l. in uendendo. §. i. ff. de contrah. emp.* Ad legem *unde Neratius*, reſpondetur, quòd in eo caſu fuit cõmiſſum delictum, ſcilicet ſerui occiſi, at in delictis quanti quanti etiam extrinſecus intereſt, fit condemnatio, quod ſuo loco infrà latius declarabitur.

Sed & hic admonendi ſumus, cùm dictum ſit, quæ continenter ex ipſa re proueniunt, in conſideratione haberi, intelligenda & reſtringenda

genda eſſe, tantùm locum habere in bonæ fidei iudicijs, non autem in ſtricti iuris contractibus. Nam in ijs præter quod nominatim expreſſum ſit, non uenire, ut *l. quicquid aſtringendæ, de uerbo. obli.* uſque adeò ut nec fructus & partus ex ancillis debeantur, ut *d. l. uideamus. §. ſi actionem. ff. de uſu. l. ſi filius. §. fin. ff. de uerbo. obligat.* niſi concepta ſit ſtipulatio, ſcilicet rem dari, uacuamque poſſeſsionem tradi, tum etenim ob moram debentur fructus, qui poſt ſtipulationem percepti fuerunt, ut *l. ſi ſtipulatus. ff. de uſufruct. & l. in conuentionalibus. §. fi. de uerbo. obli.* ibi contineri cauſam bonorum, quod rectè interpretatus eſt Accurſ. (tametſi cæteri diſſentiant) ſcilicet fructus, cauſa

enim

enim ſumitur pro omni eo, quod rem ipſam ſequitur, eiq́; tanquam accedit, ut eſt textus *in l. Pomponius. §. i. ff. de acqui. poſſeſſ.* & euidenter patet ex *d. l. uideamus. §. ſi actionem.* Et ſi poſt contractam uenditionem, nouationis iure ſtipuletur emptor, rem dari, uacuamq́; poſſeſſionem tradi, illi tamen fructus debebuntur, qui poſt perfectam ſtipulationem percepti fuerint: qui uerò medio tempore, inter ſcilicet ſtipulationem & emptionem ex ſtipulatu, actione peti non poſſunt, ſed primæua, ſcilicet ex empto, ut habetur *in l. ſtipulatus. §. fi. ff. de uſu.*

Tempore. Veluti ſi uinum mutuò datum ſit, uel uenditum, & mora facta, uel per diei lapſum, uel per interpellationẽ eius quod intereſt, ob id rationem haberi, dubium nõ

eſt,

eſt, ut *l. uinum. ff. ſi certum peta. l. iij. §. ſi per uenditorem.* iuncta glo. *de acti. emp.* Et huc pertinet propriè illa quęſtio perdifficilis, à quo tempore æſtimatio creſcat. Nam ſi tibi uinum mutuò dederim, nec reddas, æſtimationis rationem ineundam, quo in iudicio petierim, Sabinus ſcripſit, *d. l. iij §. ſi per uendito.* At ſi uinum uendiderim, nec tradam, æſtimatio emptori computabitur, quanto pluris uinum ualuit, uel cùm uenditum eſt, uel cùm petitum fuerit, quod Pomponius tradit, *d. l. uinum.* Et quia hic tractatus reſponſa quædam ſimul pugnantia continet, ideò multũ circa hanc rem Doctores defatigati ſunt, ut patet ex eorum commentarijs in *d. l. uinum.* quæ omnia hic referre operæprecium nõ eſt. Sed aliter, quàm

in prẹſentem diem quiſquam exiſti mauerit, explicandam hanc intricatam materiam A[illegible]iatus arbitratur, ut cùm de his contractibus ambigitur, in quibus debitor facere teneatur, ueluti fundum reſtituere, rem tradere, diſtinguendi ſunt contractus ſtricti iuris ab his, quæ bonæ fidei dicuntur. In illis moram purgare ad litis uſq; conteſtationem permittitur. *l. Inſulam. de uerbo. obl.* & idcircò æſtimatio non niſi à litis conteſtationis tempore initur. *l. hominem. ff. manda.* In his enim cùm magis ex bona fide uſq; ad ſententiam tradi uel reſtitui res poſsit. *§. in bonæ fidei. Inſti. de actio.* Quapropter rei æſtimatio non fit, niſi in ſententiæ tempus, *l. iij. §. in hac. ff. commoda.* Cùm uerò de his contractibus quærimus, in quibus
uerſatur

uerſatur datio, eodem modo diſtinguendum, ut in bonæ fidei contractibus æſtimatio ineatur, utrius tẽporis uoluerit actor, moræ an ſententiæ, *d.l.iij.§.ſi per uenditorem.* In contractibus autem ſtricti iuris, litis conteſtatæ tempus obſeruatur, *l.fi.ff.de condict. tritica. & d.l.uinũ.* Quòd ſi certam ſpeciem dari actũ eſt, quamuis obligatio precisè uideatur, *l.ubi autem.§.fi.de uerbo.obl.* tamen ſententiæ tempus attendendum, ita tamẽ, ut ſi res interim deterior facta ſit, eius quoque ratio habeatur. Quapropter tali caſu litis æſtimationem lex ſolui iubet, *l.ſi ſeruus.ff.de euict.l.hæredes §.ſi unus. & §.ſi incertus.ff.fami. Hercis.* Et ſupraſcripta locum ſibi uendicant circa æſtimationem ipſius rei principalis, non autem in fru-

ctibus acceſsionibuſue, quæ indi-ſtinctè à mora creſcere incipiunt, in tempus ſententiæ, ut ſuprà dictum eſt.

Loco. Vtputa ſi Epheſi dari ſibi quis ſtipulatus fuerit, ſed quia promiſſor ad eum locum, in quo ſe ſoluturum promiſiſſet, nunquam accederet, quòd uel data opera faceret, uel quia alijs locis neceſſariò diſtringeretur, ideo eum alio loco conuenire poſſe, lege cautum eſt, ut Rub. & toto tit. *de eo quod cer. lo. da. opor.* Et in hac quæſtione illius quod intereſt, iudicis arbitrio haberi ſolet ratio, & nō ſolùm actoris, ſed etiam rei utilitatem ſpectare, ut *l. ij. ff. eo.* & non tam illius quod intrinſecus, quàm extrinſecus interſit ratio habenda: ut ſi traiectitiam pecuniam quis dederit Epheſi recepturus,

rus,ubi ſub pœna debebatur pecunia, uel ſub pignoribus. Et diſtracta pignora ſunt uel pœnæ cõmiſſa, uel mortua animalia, & res ſtipulatoris uiliſsimè diſtracta eſt, in hanc actionẽ quantiuis interfuit ueniet, ut *l.iij.§.nunc de officio.ff.eod.*

Sed quid? an & lucri hoc caſu ratio habenda? Et ſanè putandum, ut in fine ſuprà dictæ conſtitutionis, ibi, & hoc non ſolũm in damno, ſed etiam in lucro noſtra amplectitur conſtitutio, quia ex eo ueteres quod intereſt ſtatuerunt, ut *d.l.iij.§.fi.ff.de eo quod cer.lo.* ibi. quòd ſi merces ſolebat comparare, an & lucri ratio habeatur, nõ ſolius damni, puto & lucri habendam rationem. Sed hoc intelligendum, ſi lucrũ facere conſueuit, quod ex coniectura à conſuetis ſumitur, ut ibi.

dem per glo. & *l. ſi ſterilis. §. cùm per uenditorem. de actio. emp.* Vnde ſi alioqui mercari non conſueuit neque plerunq; ex mercatura lucrum faciebat, pecunia debeatur, illique mora facta, lucrum aliquod reputandum non eſſe monet. *d. §. ſi per uenditorem.* Pręterea ſuprà dicta intelligi debent, in negociatione licita, non autem quæ iure ſit prohibita, utputa in uſuris exercendis. Quare perperàm facere conſtat illos, qui ſub uſuris concredere ſolent pecuniam, ut in ſtatuta die reddatur, tum omne id, quod ab alio, cui iterum pecuniæ ſummam adixerant, lucrari poterant, reputare ſolent.

Cauſa. Veluti fideiuſsionis, ut ſi Titius fidem ſuam pro Sempronio dederit, & is non ſoluens, ſed Titi-

us neceſsitate quadam, debitum cum uſuris acceſsionibuſue exoluere fuerit coactus, iure optimo hoc repeti dubium non eſt, ne damnum indebitè patiatur. *l. uideamus. ff. de uſu. c. peruenit. & c. conſtitutus. ext. de fideiuſſ.* Nemini enim, inquit Africanus, *in l. ſi ſeruus. ff. de furt.* ſuum officium, quod eius cum quo contraxerit, non autem ſui commodi cauſa, ſuſceperit, damnoſum eſſe. Quod tamen intelligendum putatur, ſi fideiuſsionis obligatio cōtineat & uſuras, ac omnem cauſam, uel etiam ſimpliciter facta ſit, nam & tunc in omnem cauſam factam intelligitur, ut *l. ſi quis. §. ſi nummos. ff. de fideiuſſ. & l. ſi ut proponis. l. ſi ita ſtipulatus. co. l. 1. §. belliſsime. ff. ut legato. no. l. quæro. ff. loca.* Et tum maximè, ſi uel iurauerit fideiuſſor, uel

compulſus autoritate legis muni-
cipalis, uſuras ſoluere, ut per Albe.
Roſ. *in l. cunctos populos. ff. de iuſt. &
iu.* Secus autem ſi pro ſorte tantùm
fideiuſſerit, cùm non poſsit in du-
riori cauſa, quàm ipſa principalis
eſt, obligari. *l. ſi pignore. ff. fideiuſſ.*
Vel etiam ſi non iurauerit, uel auto
ritate legis municipalis non com-
pulſus, cùm de indebito excipere
debuiſſet uſuras, nō repetet, ut per
doctores *in d. c. peruenit.* Maleficij
quoque cauſa, uarijs modis ratio
illius quod intereſt, iniri ſolet, ue-
luti ſi tibi ſurreptum, quod in die
certa dediſſes, pœnam promiſiſti,
ideoq; ſufferre eam neceſſe fuit, o-
mne id æſtimabitur. *l. inficiando. §
i. ff. de fur.* Item ſi quis rem alienam
tradiderit, ſiue imprudens, ſiue ſci-
ens hoc fecerit uenditor, quatenus
emptoris

emptoris intereſt omnino cōdem-nandum, *l. Titius. ff. de actio. emp.* Ita tamen ne duplum egrediatur, ut ſuprà dicta cōſtitutione cautum eſt. & *l. cùm & ſorte. ff. eod.* Si uerò uenditor ſciens tignum uitioſum, uel ouem morboſam tradiderit, inde quidquid detrimenti emptor conſequitur, præſtandū eſt, *l. Iulianus. ff. eo.* quod tamen ſecus eſt, ſi ignorans, tunc enim quanti minoris ſecum agitur, *d. l. Iulia.* præterquam in eo qui uas uitioſum præſtitit, ut *l. tenetur. § qui uas. de actio. emp.*

Huc etiam pertinent cauſę, quibus culpa non reſtituentis uel exhibentis punitur, cuius rei cauſa iudex id quod intereſt agentis æſtimandi habet poteſtatem, ut *§ præterea. Inſti. de actio. & l. ij. ff. de in lit. iur.* Cùm uerò dolus aut contuma-

cia non reſtituentis, uel exhibentis punitur, quanti in litem iurauerit actor, ut *d.l.ij*. Sed in his certã ſummam iudex præfinire poteſt; uſque ad quam iuretur, ut *l. in actionibus. ff. de in lit. iur.* Cęterũ an illud quod interſit iure actionis, uel iudicis officio in cõdemnationem ueniat, latè tradit Iaſon in *l. ſi prius. ff. de no. oper. nunc.* Demum illud generaliter ſciendum, id quod intereſt plerunq; boni uiri arbitrio conſiſtere, nec certis quibuſdam regulis diffiniri poſſe, ut *d. §. præterea. & §. in bonæ fidei. Inſt. de actio.* & perdifficilis illius probatio. *§. fi. Inſti. de uerbo. obli.* Itaq; illud inprimis is qui iuriſdictioni præeſt, animaduertere debet, ne quid in hac re quod legem æquitatemq; naturalem offendat, ſtatuatur. Quod Vlpia. *in l. i. ff. de*

ff. de uſu. et fruct. ſcripſit. Cùm enim (inquit) in iudicijs bonæ fidei diſceptetur, uſurarum modus ex more regionis, ubi contractum eſt, conſtituitur, ita tamen ut legem non offendat. & idē *in l. generaliter. eod.* obſeruare conuenit, bonæ fidei iudicium non recipere prętationem, quæ contra bonos mores deſideraretur. Et ſub tit. *de uerb. obl. in l. generaliter.* Nouimus inquit, turpes ſtipulationes nullius momenti eſſe. Quod nunc temporis, maximè ab his qui Chriſti traditionibus inſtituti ſunt, de lege diuina ac ea fide, morumq; integritate intelligēdum eſt, quæ homini Chriſtiano conueniunt, & hac in re id potiſsimùm obſeruandum, ne quid contra præcepta Dei charitatiſq; normam cōmittatur.

Quæ

Quæ pœnæ licitè exigi poſſunt. Cap. IX.

CVm ſuprà dictum ſit, pœnæ appellatione uſuram contineri, ſed generaliter id accipi an debeat, & quibus caſibus pœnæ locus ſit, uel licitè petatur, hic ſubſequenter definiendum uenit.

Et inprimis ſciendum, quòd ea pœna, quæ lege conſtituta eſt, licitè & pura conſcientiā exigi poſsit, ut *xvij.q.iiij.§.ſi quis deinceps.& c.ſeq.c. ſacrilegium.* Quod enim lege permittente fit, peccatum eſſe non cenſetur, *xxiij.q.iiij.c.qui peccat. & l. Gracchus.c.de adulte.* Hinc Imperator in fine ſuæ conſtitutionis, dicit, Naturæ congruū eſſe, eas tantummodo pœnas exigi, quæ uel cum competenti moderamine proferūtur,

tur, uel à legibus certo fine ſtatuuntur. Idem etiam cenſendum, quæ conſuetudine quadam introductæ ſunt, ut *c. dilectus, l. officio ordinarij, c. ij, de delict. puc.* modò hæc naturæ uel rationi conueniat, ut *c. fi. de conſuc.*

Quibus generaliter cognitis, demum admonendi ſumus, huiuſmodi pœnas diuerſi generis eſſe. Et primò, quę contumaciam puniant, & ab eo, qui poteſtatem ordinariam habet, licitè has imponi, & exigi poſſe, dubij iuris non eſſe, ut *l. ij. in fine, ff. de iudi. l. unica. ff. ſi quis ius di. non ob. c. i. de homi. lib. vi. c. licet. ext. de pœnis.* De legato autem dicendum, ut notatur *in c. de cauſis, de offi. delega.* de arbitro autem ſecundum ea quæ traduntur *in c. cùm dilectus. ext. de arbi.* Sed inprimis

primis cauendum, ne iudex in hac re quid ſtatuat, quod auaritiæ ſuſpitionem pariat, unde conſultum eſt, pœnas exactas in pias cauſas cõuerti debere, ut notatur *in c. i. de homici. & c. licet. de pœ.* Sed alter ab altero ſecundum Hoſtien. non plus exigere hoc caſu permiſſum ultrà quàm ipſis interſit, ut *l. ſancimus.* C. *de iudi. c. quoniam. §. in alijs. ut lite non conteſt.*

Secundò, quæ ad æſtimationem iniuriæ pertinent, etiã impunè exigit is, qui iniuriam paſſus eſt, ut *c. fi. de dolo & contu. c. olim. infr. de iureiu. &c.* Sed cui hæc pœna adplicari debeat, eſt glo. *in c. parochianos, de ſenten. excommu.*

Tertiò, quę ex compromiſſo cõpetit, Nam & hæc à quocunq; peti poteſt, ut *c. per tuas. ext. de arb.* Nam

ea

ea punitur contumacia, uel dolus illius, qui datã fidem uiolat, ac nolle ſtare pacto temerè contendit: Ideo ut alterius parti expenſarum, ac laborum ratio habeatur, meritò exigi poteſt, Sed tamen aliquando etiam eo caſu, loco rei promiſſę cedit. At hic obſeruandum uenit, quòd ſi aduerſa pars ex integro laudem adimplere propter inopiam nequeat, licet de rigore iuris committatur in totum, de æquitate tamen Canonica non debet exigi, niſi quatenus intereſt, ut hæc ſecundum Hoſtien. in tit. *de pœ. &c.*

Quartò, quæ ex conuentione prouenit, Et hæc quatenus uerè ſtipulantis interſit, & non ultrà peti poteſt, ut tradit Hoſtien. in tit. de *arbi.* Et Anto. de Bu. Idem Innocen. in *c. ſua, de pœ.* ubi inquit, quòd pœ-

na

na conuentionalis, dummodo in fraudem uſurarum appoſita non ſit, in totum exigi poſsit, etiamſi id quod interſit excedat. Refert & ſequitur Abb. *in c. dilecti, de arbi.* Atq; hæc maximè procedunt, ſi pœna appoſita ſit, ut temeritas nō ſeruantis pacta refrenetur, cùm nihil tam naturale ſit, quàm ut quod inter partes conuentum prestetur, ut *l. i. ff. de pact.* Vnde legislator difficultatem, quæ in probando id quod interſit, cōſiſtit, præ oculis habens, conſuluit, ut loco illius certa adponatur pœna, quæ ſtipulantem ab onere probandi releuat, ut *§ fi. Inſt. de uerb. obli.* Et hæc omnia procedunt, ni pœna adiecta fuerit in fraudem uſurarum, quia tum minimè exigi poſſe, ſuprà dictum eſt, ut *c. illo uos. de pigno. c. ad noſtram.*
de

de emp. & uendi.l. cùm allegas.C. *de uſu.*

Sed meritò h*i*c dubitatur,quibus argumentis liquere poſsit,pœnā in fraudem adiectam eſſe,in qua quęſtione ita diſtingui ſolet, quòd aut appoſita ſit, ſuper ſolutione quantitatis, & tunc in uſurarum fraudem adiecta præſumitur, puta ſi quantitas in termino non fuerit ſoluta.*d.l. cùm allegas*. & ibi communiter per ſcribentes.*l. Iulianus.* §. *idē Papinia.de actio.emp.*Bart.*l.rogaſti.* §.*i.ſi cert.peta.* & hoc potiſsimùm ſi conſtiterit, ſtipulantem pœnam uſurarium eſſe,ut per Bar.*in d.l.rogaſti.* Aut pœna apponitur promiſſioni facti ſeu dandi certam ſpeciem, nulla præcedente obligatione quantitatis, & hoc caſu fraudem non præſumi,ut *c.dilecti.* & *d.l.cùm*

allegas. ibiq; communiter per Doсto. niſi ex alijs coniecturis uſurarum fraus appareat, cuius rei certa doctrina uix reddi poteſt, ſed iudicio rectæ rationis, ac arbitrio boni uiri dijudicandum uenit.

De uſurariorum pœnis. *Cap*. X.

RElíquum eſt nunc, ſecundum inſtituti noſtri propoſitum de pœnis uſurariorũ dicere. Et Ioan. in ſua Cano. cap. iij. tradit, ex diabolo eſſe eum, qui peccata committit: uſurarios autem contra præcepta Dei committere ac peccare, ex his quę ſuprà dicta ſunt, liquidò apparet. Ergo negari non poteſt, uſurarios ex diabolo, uel ipſius miniſtros eſſe. Et regnum Dei ad ipſos non pertinere, Paulus ad Corinth. vi. teſta-

vi. teſtatur, cùm inquit: Neq; fures, neq; auari, regnum Dei poſsidebunt. Quòd uerò uſurarij propriè auari ac fures ſint, ex eo patet, quòd nulla re, nulla arte, nullaque fraude, proximi facultates magis expilari, magisq; exugi poſſe uidemus, quàm uſurarum ſtudio. Praeterea ad Ephe. cap. v. monet, auaritiam ne nominari quidem inter eos debere. Auaritia eſt inordinatus appetitus tum habendi tum retinendi rei cum alterius incommodo atque iniuria, quo uitio nullum tetrius ac ſceleſtius inueniri poteſt, cùm ſit radix omnium malorũ. Sunt enim auari ac uſurarij homines ἄστοργοι, immanes, crudeles, qui omniũ hominum uitam ne obolo quidẽ, ſi poſſent, redimerent. Quarè praeclare alibi dictum legitur,

Auarũ nihil rectè facere, niſi cùm moritur. Nã cùm uiuit nemini prodeſt, ſed rapit, & uorat ea quibus alij frui ac ſe ſuſtentare deberent. Hinc idẽ Paulus ad Theſſa.cap.iiij. iubet, ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem ſuũ, propterea quòd ultor ſit dominus de omnibus his: ſed agere res proprias, et manibus operari pręcipit. Vſurarios uerò nõ proprias res agere, ſed alienis bonis atq; fortunis inhiare cõſtat, ac omnẽ ſubſtantiam atq; laborẽ miſerorũ debitorũ, ac magnatum ſubditorũ, ad ſe pedetentim attrahere. Nec refert ſi interim pij, ac auditores uerbi Dei eſſe uelint, ſępius etiam cum alijs Chriſti fidelibus, corpus ac ſanguinẽ domini noſtri Ieſu Chriſti cõmunicent, paſtores diligant, atq; obſeruent, his & alijs

egenis,

egenis ſua liberaliter impertiant.

Verùm cùm omnia hęc ſine pœnitentia, ſine uera fide, ueroque cultu diuino fiant, nihil prodeſt, imò maiorem iram ac damnationem ſibi eo ipſo accumulant, cùm ludibrio ac contemptui quaſi habeant Chriſti mortem, illiusq; uerbum. Hæc enim eſt illorũ condemnatio, inquit Chriſtus Ioann. iij. quòd lux uenit in mundũ, & dilexerũt magis tenebras quàm lucẽ, cùm ſint eorũ opera mala. Hinc Baptiſta in principio ſuæ concionis prædicauit Baptiſmũ pœnitentiæ, in remiſsionẽ peccatorũ. Et Chriſtus Mar. ij. inquit: Reſipiſcite & credite Euangelio. Non enim cõuenit, uelle niti miſericordia Dei, ac liberari à peccatis, interimq; indies ijs inuolui, non ſecus, ac qui uulneri mederi cupi-

at, ac interim illud indies refricet. Illuxit enim Dei gratia omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentijs, ſobriè, iuſtè, & piè uiuamus in hoc ſeculo. Et cùm in ſacro fonte quiſque Chriſto ſemel ſe deuouerit, ac operibus Satanæ renunciauerit, æquum eſt inquit Petrus, refugere ab inquinamentis mundi, per agnitionem domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, nec illis rurſus inuolui, ne poſtrema peiora fiant primis, alioqui enim ſatius fuiſſet non agnouiſſe uiam iuſtitiæ, quàm à cognita diuertere, & accidere illis id, quod prouerbio dici ſolet: Canis reuerſus ad ſuum ipſius uomitum, & ſus lota reuerſa ad ſuum ipſius uolutabrum cœni. Itaque Paulus ad Roma. vi. inquit:

Quid igitur dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit, qui mortui ſumus peccato, quomodo poſthac uiuemus in eodem? Quare non permittendum, ut regnet in nobis peccatum in mortali corpore, & obediamus cupiditatibus eius. Qui enim Chriſto nomē dedit, & inde Chriſtianus appellatur, ablutus à peccatis, ſanctificatus per mortem Ieſu Chriſti & per ſpiritum Dei noſtri, ei nihil magis cōuenit quàm ut illuſtri ac tam diuino nomini ſatisfaciat, ac non ſolū peccata fugiat, deiq; mandàtis obtemperet, ſed & tanto nomine dignam, ac piam ducat uitã, ut Ioan. in prima Cano. ſua ait. Et per hoc enim ſcimus, inquit Ioan. quòd cognouimus eum, ſi iuſſa illius obſeruemus. Qui dicit, noui eum, & prę

Quæ pœnæ licitè exigi poſſunt. *Cap. IX.*

CVm ſuprà dictum ſit, pœnæ appellatione uſuram contineri, ſed generaliter id accipi an debeat, & quibus caſibus pœnæ locus ſit, uel licitè petatur, hic ſubſequenter definiendum uenit.

Et inprimis ſciendum, quòd ea pœna, quæ lege conſtituta eſt, licitè & pura conſcientia exigi poſsit, ut *xvij.q.iiij §. ſi quis deinceps. & c. ſeq. c. ſacrilegium.* Quod enim lege permittente fit, peccatum eſſe non cenſetur, *xxiij.q.iiij.c. qui peccat. & l. Gracchus.c.de adulte.* Hinc Imperator in fine ſuæ conſtitutionis, dicit, Naturæ congruũ eſſe, eas tantummodo pœnas exigi, quæ uel cum competenti moderamine proferũtur,

tur, uel à legibus certo fine ſtatuuntur. Idem etiam cenſendum, quæ conſuetudine quadam introductæ ſunt, ut *c. dilectus, l. officio ordinarij, c. ij. de delict. puc.* modò hæc naturæ uel rationi conueniat, ut *c. fi. de conſuc.*

Quibus generaliter cognitis, demum admonendi ſumus, huiuſmodi pœnas diuerſi generis eſſe. Et primò, quę contumaciam puniant, & ab eo, qui poteſtatem ordinariam habet, licitè has imponi, & exigi poſſe, dubij iuris non eſſe, ut *l. ij. in fine, ff. de iudi. l. unica. ff. ſi quis ius di. non ob. c. i. de homi. lib. vi. c. licet. ext. de pœnis.* De legato autem dicendum, ut notatur *in c. de cauſis, de offi. delega.* de arbitro autem ſecundum ea quæ traduntur *in c. cùm dilectus. ext. de arbi.* Sed inprimis

primis

primis cauendum, ne iudex in hac re quid ſtatuat, quod auaritiæ ſuſpitionem pariat, unde conſultum eſt, pœnas exactas in pias cauſas cõuerti debere, ut notatur *in c. i. de homici. & c. licet. de pœ.* Sed alter ab altero ſecundum Hoſtien. non plus exigere hoc caſu permiſſum ultrà quàm ipſis interſit, ut *l. ſancimus. C. de iudi. c. quoniam. §. in alijs. ut lite non conteſt.*

Secundò, quæ ad æſtimationem iniuriæ pertinent, etiã impunè exigit is, qui iniuriam paſſus eſt, ut *c. fi. de dolo & contu. c. olim. infr. de iureiu. &c.* Sed cui hæc pœna adplicari debeat, eſt glo. *in c. parochianos, de ſenten. excommu.*

Tertiò, quę ex compromiſſo cõpetit, Nam & hæc à quocunq; peti poteſt, ut *c. per tuas. ext. de arb.* Nam

ea

ea punitur contumacia, uel dolus illius, qui datã fidem uiolat, ac nolle ſtare pacto temerè contendit. Ideo ut alterius parti expenſarum, ac laborum ratio habeatur, meritò exigi poteſt, Sed tamen aliquando etiam eo caſu, loco rei promiſſæ cedit. At hic obſeruandum uenit, quòd ſi aduerſa pars ex integro laudem adimplere propter inopiam nequeat, licet de rigore iuris committatur in totum, de æquitate tamen Canonica non debet exigi, niſi quatenus intereſt, ut hæc ſecundum Hoſtien. in tit. *de pœ. &c.*

Quartò, quæ ex conuentione prouenit, Et hæc quatenus uerè ſtipulantis interſit, & non ultrà peti poteſt, ut tradit Hoſtien. in tit. de *arbi.* Et Anto. de Bu. Idem Innocen. in *c. ſua, de pœ.* ubi inquit, quòd pœ-

na

na conuentionalis, dummodo in fraudem uſurarum appoſita non ſit, in totum exigi poſsit, etiamſi id quod interſit excedat. Refert & ſequitur Abb. *in c. dilecti, de arbi.* Atq; hæc maximè procedunt, ſi pœna appoſita ſit, ut temeritas nõ ſeruantis pacta refrenetur, cùm nihil tam naturale ſit, quàm ut quod inter partes conuentum prſtetur, ut *l. i. ff. de pact.* Vnde legislator difficultatem, quæ in probando id quod interſit, cõſiſtit, præ oculis habens, conſuluit, ut loco illius certa adponatur pœna, quæ ſtipulantem ab onere probandi releuat, ut *§. fi. Inſt. de uerb. obli.* Et hæc omnia procedunt, ni pœna adiecta fuerit in fraudem uſurarum, quia tum minimè exigi poſſe, ſuprà dictum eſt, ut *c. illo uos. de pigno. c. ad noſtram.*
de

de emp. & uendi. l. cùm allegas. C. de uſu.

Sed meritò hîc dubitatur, quibus argumentis liquere poſsit, pœnã in fraudem adiectam eſſe, in qua quęſtione ita diſtingui ſolet, quòd aut appoſita ſit, ſuper ſolutione quantitatis, & tunc in uſurarum fraudem adiecta præſumitur, puta ſi quantitas in termino non fuerit ſoluta. *d. l. cùm allegas*. & ibi communiter per ſcribentes. *l. Iulianus. §. idẽ Papinia. de actio. emp.* Bart. *l. rogaſti. §. 1. ſi cert. peta.* & hoc potiſsimùm ſi conſtiterit, ſtipulantem pœnam uſurarium eſſe, ut per Bar. *in d. l. rogaſti.* Aut pœna apponitur promiſſioni facti ſeu dandi certam ſpeciem, nulla præcedente obligatione quantitatis, & hoc caſu fraudem non præſumi, ut *c. dilecti. & d. l. cùm*

O

allegas. ibiq; communiter per Do. cto. niſi ex alijs coniecturis uſurarum fraus appareat, cuius rei certa doctrina uix reddi poteſt, ſed iudicio rectæ rationis, ac arbitrio boni uiri dijudicandum uenit.

De uſurariorum pœnis. Cap. X.

RELiquum eſt nunc, ſecundum inſtituti noſtri propoſitum de pœnis uſurariorũ dicere. Et Ioan. in ſua Cano. cap. iij. tradit, ex diabolo eſſe eum, qui peccata committit: uſurarios autem contra præcepta Dei committere ac peccare, ex his quę ſuprà dicta ſunt, liquidò apparet. Ergo negari non poteſt, uſurarios ex diabolo, uel ipſius miniſtros eſſe. Et regnum Dei ad ipſos non pertinere, Paulus ad Corinth. vi. teſta-

vi. teſtatur, cùm inquit: Neq; fures, neq; auari, regnum Dei poſsidebunt. Quòd uerò uſurarij propriè auari ac fures ſint, ex eo patet, quòd nulla re, nulla arte, nullaque fraude, proximi facultates magis expilari, magisq; exugi poſſe uidemus, quàm uſurarum ſtudio. Præterea ad Ephe. cap. v. monet, auaritiam ne nominari quidem inter eos debere. Auaritia eſt inordinatus appetitus tum habendi tum retinendi rei cum alterius incommodo atque iniuria, quo uitio nullum tetrius ac ſceleſtius inueniri poteſt, cùm ſit radix omnium malorũ. Sunt enim auari ac uſurarij homines ἄστοργοι, immanes, crudeles, qui omniũ hominum uitam ne obolo quidẽ, ſi poſſent, redimerent. Quarè præclare alibi dictum legitur,

Auarũ nihil rectè facere, niſi cùm moritur. Nã cùm uiuit nemini pro deſt, ſed rapit, & uorat ea quibus alĳ frui ac ſe ſuſtentare deberent. Hinc idẽ Paulus ad Theſſa.cap.iiĳ. iubet, ne quis opprimat aut frau- det in negotio fratrem ſuũ, propte- rea quòd ultor ſit dominus de o- mnibus his: ſed agere res proprias, et manibus operari pręcipit. Vſura rios uerò nõ proprias res agere, ſed alienis bonis atq; fortunis inhiare cõſtat, ac omnẽ ſubſtantiam atq; la borẽ miſerorũ debitorũ, ac magna tum ſubditorũ, ad ſe pedetentim at trahere. Nec refert ſi interim pĳ, ac auditores uerbi Dei eſſe uelint, ſępi us etiam cum alĳs Chriſti fidelibus, corpus ac ſanguinẽ domini noſtri Ieſu Chriſti cõmunicent, paſtores diligant, atq; obſeruent, his & alĳs

egenis,

egenis ſua liberaliter impertiant.

Verùm cùm omnia hęc ſine pœnitentia, ſine uera fide, ueroque cultu diuino fiant, nihil prodeſt, imò maiorem iram ac damnationem ſibi eo ipſo accumulant, cùm ludibrio ac contemptui quaſi habeant Chriſti mortem, illiusq; uerbum. Hæc enim eſt illorũ condemnatio, inquit Chriſtus Ioann. iij. quòd lux uenit in mundũ, & dilexerũt magis tenebras quàm lucẽ, cùm ſint eorũ opera mala. Hinc Baptiſta in principio ſuæ concionis prædicauit Baptiſmũ pœnitentiæ, in remiſsionẽ peccatorũ. Et Chriſtus Mar. ij. inquit: Reſipiſcite & credite Euangelio. Non enim cõuenit, uelle niti miſericordia Dei, ac liberari à peccatis, interimq; indies ijs inuolui, non ſecus, ac qui uulneri mederi cupi-

at, ac interim illud indies refricet. Illuxit enim Dei gratia omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentijs, ſobriè, iuſtè, & piè uiuamus in hoc ſeculo. Et cùm in ſacro fonte quiſque Chriſto ſemel ſe deuouerit, ac operibus Satanæ renunciauerit, æquum eſt inquit Petrus, refugere ab inquinamentis mundi, per agnitionem domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, nec illis rurſus inuolui, ne poſtrema peiora fiant primis, alioqui enim ſatius fuiſſet non agnouiſſe uiam iuſtitiæ, quàm à cognita diuertere, & accidere illis id, quod prouerbio dici ſolet: Canis reuerſus ad ſuum ipſius uomitum, & ſus lota reuerſa ad ſuum ipſius uolutabrum cœni. Itaque Paulus ad Roma. vi. inquit:

Quid

Quid igitur dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit, qui mortui ſumus peccato, quomodo poſthac uiuemus in eodem? Quare non permittendum, ut regnet in nobis peccatum in mortali corpore, & obediamus cupiditatibus eius. Qui enim Chriſto nomē dedit, & inde Chriſtianus appellatur, ablutus à peccatis, ſanctificatus per mortem Ieſu Chriſti & per ſpiritum Dei noſtri, ei nihil magis cōuenit quàm ut illuſtri ac tam diuino nomini ſatisfaciat, ac non ſolū peccata fugiat, deiq; mandàtis obtemperet, ſed & tanto nomine dignam, ac piam ducat uitã, ut Ioan. in prima Cano. ſua ait. Et per hoc enim ſcimus, inquit Ioan. quòd cognouimus eum, ſi iuſſa illius obſeruemus. Qui dicit, noui eum, & prę

cepta eius non ſeruat, mendax eſt, & in eo ueritas non eſt.

Cùm itaque uſurarij uoci Dei non obtemperent, ueritatem in ijs non eſſe manifeſtò apparet, quantumuis foris pulchrè ſplendeant. Et ſunt hi de quibus Ezechiel. xxxiij. inquit: Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos. Quandoquidem cantiones edunt ore ſuo, ſed auaritiam ſuã ſequitur cor eorum. Sed quia paruipẽdunt Chriſti beneficia, illiusq́; occulta ſapientiæ ignorant, nec primum gradũ Chriſtiani nominis attigerunt, ut admiſſorum ſuorum pœniteat, ſed iuſtitiam Dei in iniuſtitia detinent, ideo ſcandalo ſunt toti Eccleſiæ. Optima ergo ratione à patribus conſtitutum eſſe extat, eos tanquam putida membra abſcindi, & à cœtu

piorum

piorum remoueri, excommunicarique debere, ut hac tam ſæuiſsima pœna adacti, reſipiſcant, & pœnitentiam ſui delicti agant, ac tandem Chriſti beneficijs frui, ueræque Eccleſiæ iterum inſeri poſsint.

Itaq; ſciendum, manifeſtos uſurarios ipſo facto excommunicationi ſubiectos eſſe, id eſt, eo ipſo quòd conſtiterit, quem eſſe uſurarium, ad participationem ac communionem Sacramentorum non admittendum eſſe, nec oblationes uel eleemoſynas ab eo recipiendas. Et ſi in eo peccato diſceſſerit, eum ſepulturæ non tradendum, ut hæc habentur ex conſtitutione Lateranen. Concilij. *c. quia in omnib. ext. de uſu.* Verba enim conſtitutionis hæc ſunt: Quia in omnibus ferè locis ita uſurarũ crimen inoleuit, ut mul

ti aliis negotiis prætermiſsis, quaſi licitè uſuras exerceant, & qualiter utriuſq; teſtamenti pagina eas condemnauit, nequidquam attendentes: itaq; ſtatuimus, ut uſurarii manifeſti, nec ad cõmunionem admittantur altaris, nec Chriſtianam (ſi in hoc peccato diſceſſerint) accipiant ſepulturam, ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat. Quod etiam de eleemoſynis intelligendũ eſſe dicit Ioan. An. in *c. ex uoluntate, de ſenten. excommu.* Abominabiles enim ſunt impiorum uictimæ.

Manifeſti autem uſurarii dicuntur illi, qui palàm ſine metu, ſine uerecundia, pecuniã ſuam ſub uſuris mutuõ, etiamſi ſex uel quinque tantùm accipiant, ut ſuprà dictum eſt, & hoc quaſi omnibus pateat. *arg. c. fi. ext. de cohabi. cle. & mul.* Vel

etiam

etiã per indubitata argumenta, uel præſumptiones conuinci poſſunt, ut *c. cùm in diœceſi. ext. de uſu.* ibique per Abb. Vt quia per famam cum alijs certis indicijs hoc liqueat, uel quia per Epiſcopum, aut antiſtitem pro uſurario declarati ſunt, ut per Hoſti. in ſua ſumma, *ext. de uſu.*

Non manifeſti autem dicuntur, de quibus tamen ſuſpitio, cùm rem clàm peragant, & contra illos uel ex officio per inquiſitionem, uel per alicuius denunciationem, uel etiã accuſationem procedi poteſt. Item per modum exceptionis, ut hæc per Hoſti. in loco prius allegato. Et hi conuicti eiſdem ſubijciuntur pœnis, de quibus paulò antè dictũ, nec abolitionẽ impetrare poſſunt, & ſepulturę tradi, priuſquam uſuræ reſtituantur, ſecundum illud

lud Prophetę dictum: Et egerit pœnitentiam, feceritq́; iudicium & iuſtitiam: & pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, ut de Zachęo Luc. xix. ſcriptum legitur. Vel ſecundum formam *c. quanquam de uſu. lib. vi.* ut idoneè de his reſtituendis cautũ fuerit, de qua re paulò pòſt amplius dicetur.

Cęterùm uſurarij non ſolùm ab Eccleſia & piorum ſeu Chriſtianorum cœtu excluduntur, ſed etiam à ciuili commercio ſeu ſocietate remouentur, cùm ſint infames, ut *l. improbum fœnus.* C. *ex quib. cau. in fa. irro.* & ibi per Doct. & Anto. de Bu. *in c. Rainutius. de teſta.* Bal. *in l. qui accuſare.* C. *de eden.* Hinc nobilis exercens uſuras perdit dignitatem ſuam. Bart. *in l. i.* C. *de digni.* textus *in l. quoties. de dig. lib. xij. l. diuo Marco.*

C. de

C.*de quæſtio.* Hoc etiam amplius, etiamſi uſurarius emendationem præſtiterit, nihilominus infamia prægrauari uoluit Barto.*in l.1.ff.de ædil.edict.* & Bald.*in l.1.C.de ſac.ſan. Eccle.* Quia emendatus de crimine integer dici non poteſt, nec priſtinæ præſumptioni naturæ, tanquam bonus reſtituitur, ut *c.1.de ſeruitu. l.merito.ff.pro ſocio.c. dudũ.de præſump.* Quia infamia infamem ſequitur, ſicut lepra leproſum.*arg.c. cito turpem.1.q.1.*Bar.*in l.non ſolum.de ritu nup.* Et ex eo ſequitur, ſi lex uel ſtatutum requirat teſtes, qui integræ famæ uel opinionis ſunt, non admitti uſurarium, etiamſi emendationem præſtiterit, iuribus ac rationibus ſuprà adductis. Nec aliàs ad teſtimonium admittuntur, niſi in ſubſidium & cum tormentis,

ut

ut per Bart. *in l. ob carmen. §. pe. de famo. libel.* glo. *in l. ſi. uerò ignoti. in auth. de trien. & ſemiſ.*

Hinc etiã fit, ut teſtamentum cõdere nequeant, ut *c. quenque. de uſu. lib. vi.* Imõ nec etiam Codicillos, idque ui extenſionis *l. i. §. i. de calumnia. l. Iulianus §. mutui. ad Macedo. Alex. in l. i. de uerbo. obli.* & communiter per Doctoꝛ. in auth. *ſacra pub. in uerbo, nuptijs. C. quando mulie. offi. tute. fung.*

Ac his modis uſurarij per Eccleſiaſticam cenſuram compellendi, ut omnia quæ per uſuras exegerint, reſtituant, ut *c. cùm tu. ext. de uſu.* Imò etiam filius, uel extraneus hæres, uſuras extortas per defunctum, reſtituere compellendus eſt. *c. tua nos. eod.* etiamſi iuramentum interuenerit per debitorem eas repetere

petere nolentis, quia nihilominus iudex ex officio, ad reſtitutionem uſurarum procedere debet, ut *d. c. tua nos.* & ibi glo. Doctoresq;. Hinc etiam cautum eſt, ut uſurarij bona ad quencunque peruenerint, tacitè obligata ſint pro uſuris. *d. c. tua nos.* ibi per glo. Nec etiam cedens bonis gaudet priuilegio, quo indultum, ne quis amplius, niſi quantum facere poſsit, conuenire debeat. *l. is qui. ff. de ceßio. bono.* Sed uſurarius ſtatim, ubi ad pinguiorem fortunam peruenerit, in ſolidum tenetur, non habita ratione ne egeat. *d. c. cùm tu.* & ibi glo. *de uſu.* Non enim dimittitur peccatum, niſi ablatum reſtituatur. Ideo Zachæus inquit: Et ſi quem defraudauero, reddam quadruplum &c.

Item cogitur edere rationes con

tra

tra communes regulas iuris, ut *l. 1. C. de eden.* & ibi per dd. Barto. *in l. non ſolum. de ritu nup.* Bal. *in d. l. improbum fœnus.* Ange. *in l. Argentarius. ff. de eden.* Franciſ. de Are. *in l. circa. 1. col. C. eod. ti.* Et hoc in odium uſurariorum, cūm peſsimum ſit genus hominū, ut dicit Hoſti. *in c. illo uos. ext. de uſu.*

Ad hæc & illud prætereundum non eſt, ſed annotatione digniſſimum, extare conſtitutionem Alberti Imperatoris, qua cauetur, Vt ſi quis clàm uſuras exercuerit, huiuſque rei conuictus fuerit, omnibus ſuis bonis mulctetur. Et ſi uxorem habuerit, tertiam partem bonorum illi aſsignari, modò iuret, delictum ſe inſcia à marito commiſſum fuiſſe. Sin uerò hoc detrectet, tunc omnia bona fiſco applicanda, &

& excommunicationi ſubiecta eſſe debere, donec ſecundum iuris formam emendationem præſtiterit.

Demum nouiſsimè à Carolo V. Romano. Imperatore conſtitutum eſt, ut ſi qui uſuras exerceant, quarta parte ſummæ capitalis mulctentur, & hanc ordinario iudici applicari debere. Et ille ſi in exigenda pœna & animaduerſione negligens fuerit, procurator Cæſaris hunc indicta pœna, puta duarum uel trium Marcarum puri auri, & conueniendi & puniendi poteſtatē habet.

Quæ cùm ita ſint, & nunc temporis, proh dolor, adeò inoleuerit iniquitas, ut ſuprà dictæ leges, ac pœnæ prorſus contemptui ſint, ac in deſuetudinem abierint, quod ſa-

nè non parui momenti reputandũ. Ac ex eo quodãmodo ſtatuendũ, non procul abeſſe extremum illum diem horrendi iudicij, quo Deus omnes auaros, omnes impios, ac uſurarios æternis pœnis, ac cruciatibus iuſto iudicio ſit condemnaturus: Cùm tabernaculum Dei eos non inhabitaturos Pſalmiſta uaticinatus ſit. Item, non permanebit ſceptrum ſuper ſortem impiorum. Sed miſerrima conditio generis humani, hęc uel non ſcire, uel contemptui habere, ac potius ijs quæ praua conſuetudine introducta ſunt aſſentiendum ac inhærendum eſſe putent, non attendentes quòd ſcriptura dicat: Maledicti qui declinãt à mandatis tuis. Ideò Deus obnixè precandus, ne ſinat nos labi ac condemnari cum mundo incredulo, ac nobis

nobis uera pœnitentia ac agnitione peccatorum, fidei iuſtitiam apprehendere, per ſuam ineffabilem miſericordiam concedat, iuxta illud: Viam mendacij amoue à me, et legem tuam dona mihi. Item, Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad auaritiam. Amen.

DE EXCOMMVNICATIONE, CONSVLTATIO.

MORIS EST IN ALIquibus locis, ut hi qui corpus & ſanguinē domini noſtri Ieſu Chriſti, cum alijs Chriſti fidelibus non participant, uel ſcrupulo conſcientiæ irretiti, uel deſidiæ ac luxurię deditiːuel aliquid, quod diſpliceat,

cõmiſerint, à ſacro fonte baptiſmi abarceantur. Et ſi eos mori contigerit, cum diſcentium choro ad ſepulturam perferri prohibeantur, ut tanquam membra abſciſſa, ſine omni pompa funebri, terræ committantur, ut hoc exemplo cæteri admoniti, uitam in melius uel emendent, uel imbecillitate poſtpoſita, ſeſe conformes aliјs Chriſtifidelibus exhibeant: Et ita ea ratione ad ſalutis uiã allici poſſe putatur. Sed uerendum ne hic coarctionis modus ad hoc inſtitutum aptus non ſit, cũm enim excommunicationis ſpeciem quandam referat, qua hominibus nihil deteſtabilius, magiſque execrandum eſſe debet, pro ea tamen haberi ab ijs, qui iudicio aliquo ſunt præditi, non poteſt, eo quòd ritè ac iuſto ordine ad eam

proceſſum nõ ſit. Diſſoluti autem, qui nec humana nec diuina curant, hæc tanquam leuia, nullius momẽ-ti faciunt. Præterea & pij, qui ſa-nam profitentur doctrinam, hunc excommunicationis modum non probãt, eò quòd nihilominus cum his, qui ea prægrauati ſunt, commu-nicant & ſepeliendos concomitan-tur. Non deſunt etiam, qui moroſi-tate, uel priuato odio antiſtitis, in ſuos ita animaduerſum fuiſſe con-tendunt, & excõmunicatum pro-bitate uitæ, uel conſcientiæ ſcru-pulo excuſant: accidit etiam non-nunquam ut aliqui præter omnem ſpem ac opinionem, ad baptiſmum non admiſsi, iniuriarum loco exag-gerarunt, & magni indè exorti ſint motus, effectumq; ut Paſtores ab Eccleſia ſua remoti ſint, cum ma-

gno animarum diſpendio, cõuicti potiſsimum ea ratione, quòd ſolius Epiſcopi non ſit excommunicare, ſed communitatis uel Eccleſię illius particularis, in qua membrum putridũ latet, unà cum Epiſcopo, ut ex uerbis Paul. 1. Corinth. v. ſatis patet, ibi, congregatis uobis & meo Spiritu &c. Et ratio eſt euidẽs, nam ſi ſolus paſtor eam haberet poteſtatem, ſequeretur, eum eſſe Eccleſiam uirtualem, quod nedum ſtultum, ſed impium eſt fingere, cùm nihil aliud ſit quàm miniſter Eccleſiæ, 1. Corinth. iiij. & cõmembrum. Præterea ſola Eccleſia, non Epiſcopus, abſoluendi habet poteſtatem excommunicatos, ut patet ij. Corinth ij. ibi, ſufficit iſtiuſmodi increpatio hæc, quę facta eſt à pluribus: ideo ex natura relatiuorum nec ex‐

communi‐

communicandi. Hinc & illę uoces, eam poteſtatem nõ publicam eſſe, ſed autoritate propria, & temerario quodam auſu, quo ſua priuata odia perſequantur, id ſibi uendicare paſtores, quandam carnificinam rurſus in Eccleſiam introducturi. Ideò Auguſti. lib. iij. contra Parmenianũ, in his omnibus caſibus conſilia ſeparationis & inania eſſe & periculoſa, atq; ſacrilega, quia & impia & ſuperba, & plus perturbare bonos, quàm animoſos corrigere malos.

Sed contra hæc perpendendum & illud, excommunicationem Dei uerbo fundatam eſſe, ut Mat. xviij. Sit tibi uelut ethnicus et publicanus. Item ij. Cor. ij. Nolite contaminari operibus tenebrarũ: cum iuſto enim iuſtus eris, & cum peruerſo

peruerſus eris. Et, Auferte malum de medio ueſtrũ. Item ij. ad Theſſa. iij. Denunciamus autem, fratres, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſubtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt. Quòd ſi quis non obedierit uerbo noſtro, per Epiſtolã hunc notate, & non cõmiſceamini cum illo. Et ideo nullo modo ob grauiſſimum etiam quoduis ſcandalum intermittenda eſt excõmunicatio, cùm & illius effectus ſit maximus, ſalutem ſpiritus nimirum adferẽs, ac teſtante Paulo 1. Corinth. ij. de eo quem Satanæ tradi iubet ad carnis interitum, ut ſpiritus ſaluus fiat, in die domini noſtri Ieſu Chriſti. Verùm hęc de excommunicatione iuſta, ad quam ritè ſecundum Euangelica

gelica præcepta proceſſum ſit, intel ligenda ſunt, non autem de ea, quæ proprio motu arrepta, & ſine legitimo ordine, & ab ipſa quaſi executione inſtituta eſt, quę cùm ſcrupulo non careat, etiam ſine maximo ſcandalo, atteſtante Auguſtino, exerceri non poteſt. Ea uerò quæ iuſto & legitimo modo inſtituta fuerit, hæc non niſi pia, ſancta, ac charitatis plena eſſe, & ab omnibus cõprobari, nec ulla unquam calumnia interuerti poteſt.

His conſequenter uidendum reſtat, quiſnam uerus in Chriſti Eccleſia coarctionis ſit modus, & qui ordo in ea ſeruandus, ut iuſta ſententia ab Eccleſia excluſi, excommunicationis pœnas patiantur. Et ſciendum eum modum ac ordinem nobis à Chriſto Matth. xviij. præ-

ſcriptum eſſe, ubi inquit: Si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Sin autem te non audierit, ad hibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum aut trium teſtiũ conſiſtat omne uerbum. Quòd ſi nõ audierit eos, dic Eccleſiæ: quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi uelut ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlo. Et hic modus ac ordo excommunicandi, cũm ab ipſo Dei filio nobis præſcriptus ſit, ab eo nullo modo nos recedere fas eſt.

Si itaq; antiſtes animaduerterit, inter ſibi commiſſas oues quampi

am correctione indigere, hũc ad ſe accerſiri iubebit, et illi dicet animo compoſito, ac ut Paulus ait, ſpiritu manſuetudinis: Frater mi, ad aures meas peruenit : uel, uideo te, cum ſummo dolore animi mei, turpi lucro deditũ eſſe, & uſuras exercere, uel illicito uti amore, uel te inordinatam ducere uitam, indignam homini Chriſtiano, comeſſationibus ac luxuriæ deditũ, contemptorem beneficiorum Chriſti, & ad paratam non uelle accedere cœnam, ideo nunquam te corporis ac ſanguinis ipſius cum alijs Chriſti fidelibus participẽ fieri uideo. Et quia mihi tanquam paſtori commiſſa ſit à Deo cura animæ tuæ, ideo mei officij eſt, te admonere, ut te huius uel illius facti ex intimo corde pœniteat, & Deũ preceris, ut hactenus

admiſſa condonet, uitamque tuam in melius conformes, & ad Chriſtũ te uocantem ac clamantem, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos, inclines: & eum dona uitæ æternæ exhibentem non cõtemnas, ſed uera pœnitentia, uera fide ad eum te conuertas, ut poſt hanc breuem ac miſeram uitam, ęternam beatitudinem conſequi ualeas. Sic etiã agendum cum his, qui diſciplinę ueteris inhærentes ueſtigijs, & conſcientię ſcrupulo irretiti, à cõmunione ſeu Euchariſtia abſtinent, ut eidem ad ſe uocato paſtor dicat: Pater uel mater, ſoror uel fili mi, tametſi uideam te probatæ eſſe uitæ, & zœlum quidem habere erga Deum, ſed nõ ſecundum ſcientiam, cùm ſimilem te alijs Chriſtianis Sacramentorum partici-

participatione nō exhibeas. Et quia Deus uocatione ordinaria, me tibi paſtorem præfecit, mei officij eſt, te tanquàm parentem admonere, ut ſi quid eſt, quod conſcientiam tuā irretitam teneat, id me nullo modo celes, ſed uulnus tuum mihi aperire debes, quò medelā conſequi poſsis: idq́; ſi per me ſolum non liceat, ſaltem ad doctiores me referā, ut uel oratione ad Deum adiutus, uel autoritate ſcripturarum edoctus, ad ueram ac ſanam Euangelij doctrinam adduci, & ueræ Chriſti Eccleſiæ inſeri queas, cūm certò tibi perſuaſum habere debeas, nullū hominem extra illam, atteſtante noſtro ſymbolo, animæ ſuæ ſalutem conſequi poſſe. Et qui ita fraternè admoniti, lubenti ac grato animo eā acceptarint, uitæq́; uel imbecillita-

tis emendationem promiſerint, Lu-
cratus eſt paſtor ipſorum animas, quod ſibi charius quàm decem oc-
cupaſſe regna, ut Lutherus ait, eſſe
debet, cùm ouem errantem reduxe
rit, de qua etiam angelis cœleſtibus
gaudium ingens oritur.

Sin autem admonitus emenda-
tionem re ipſa non præſtiterit, uel
eam protinus cõtemptui habuerit,
tunc paſtoris eſt, ad ulteriora pro-
cedere: & accerſito ſibi collega, &
uno atq; altero diacono, iterum is
qui corrigendus eſt, uel uocetur,
uel loco honeſto adeatur, & repeti
tis his quæ cum illo prius contulit
paſtor, rurſus admoneatur, & id
iterum ſe facere in præſentia iſtorũ
bonorum uirorum teſtetur, iuxta
normã à Chriſto traditã, ne ſe tam
piè ac fraternè admonitum inficia-
ri

ri queat, cum ea proteſtatione, ni ſui admiſsi uera pœnitentia, emendationem re ipſa præſtiterit, cauſam ad primores Eccleſiæ ferendā eſſe. Quod in caſu, quo admoniti in contumacia perſtiterint, tum imprimis id quidem faciendum erit. Et per collegiū ſacerdotum unà cū diaconis hunc ad ſe uocatum, repetitis omnibus, quę ſecum prius per paſtorem acta ſunt, rurſus benignè ac fraternè admoneatur, & in eo, quo hæſitat articulo, edoceatur, grauiſsimeq; adhortetur, ne ſcelus ſuum tam notorium uel neget uel extenuet, & in contumacia perſiſtat: quod ſi factū fuerit, eum pro publicano & Ethnico haberi oportere. Quare ni infra hoc uel illud temporis ſpacium, iterum compareat, & admiſſorum ex intimo corde

de condoleat: & emendationem promittat, quam & re ipſa poſtea præſtet, fore ut ad talem diem, pro ethnico uel publicano publicè pro concione denuncietur & declaretur.

Adueniente itaq; tali die, etſi ex re Eccleſiæ, uel iſtius admoniti, Sacerdotum ac Diaconorum ordo eſſe duxerit ac decreuerit, ut in eum ſententia excommunicationis publicè feratur, tunc relatis omnibus toti Eccleſiæ, quę cum illo acta agitataq; fuerint, quodque iam ſæpius piè ac fraternè ſit admonitus, tamē eum de tam enormibus ac notorijs criminibus pœnitere non uelle, conſtiterit, ſed in pertinaci contumacia in animæ ipſius perpetuum detrimentum, & totius Eccleſiæ ſcandalum perdurare, & ne Eccesia ſuis

delictis cõniuere uideatur, ſed ipſis ſe exonerare poſsit, itaq; aliter fieri non poſſe, quin pro ethnico ſeu publicano, ipſo Dei iubente filio, ab omnibus haberi debeat, ut Satanæ traditus ad interitum carnis, ſpiritus ſaluus ſit, in die domini noſtri Ieſu Chriſti. Quare ipſum tãquam ethnicum ac publicanũ & pro excommunicato habendum, declarare atq; denunciare &c.

Quæ ſententia excommunicationis ſi ritè prolata, atq; ad eum iuxta Chriſti normã proceſſum fuerit, hæc non niſi iuſta, pia, ac charitatis plena ab omnibus cenſeri poteſt. Et hæc non ſolùm illos duos, ſcilicet, ut à ſacro abarceantur fonte, & cum diſcentium choro ſepeliri prohibeantur, habet effectus, ſed alios etiam longè maiores, ut nimi-

rum uſu omnium Sacramentorũ, rerum, colloquiorum, commerciorum, communis cœmiterij, Item omnium munerum ciuilium, & in ſumma publici priuatiq; iuris commodo priuentur &c. Vt hac tam ſæuiſsima pœna ad ueram pœnitentiam adducti, alijs exemplo ſint, mores in melius reformare. Et cùm prima excommunicationis cauſa ſit, ipſa charitas, atteſtante Paulo, non ut inimicum habeatis, ſed corripite ut fratrem: non eſtis ad eradicandũ, ſed ad corrigendũ. Hinc Auguſti. lib. expoſitio. in Epiſto. ad Gala. inquit: Nunquam itaque peccati obiurgandi ſuſcipiendum negotium, niſi interius interrogationibus, examinãtis noſtram conſcientiam, liquidò nobis corã Deo reſponderimus, dilectione nos facere,

cere. Quicquid enim lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Et hæc ipſa charitas nõ niſi ex ipſa norma, quæ à Chriſto eſt tradita, clarius conſpici poteſt: qua autem neglecta & pro libito, & ſine omni admonitione prætermiſſa, paſtores quemuis ſuprà dictis modis uel etiam alijs inſectantur, & ab ipſa ut aiunt executione rem peragunt, fieri non poteſt, quin apud graues, pios ac bonos uiros, priuati odij uel moroſitatis ſuſpicio ſuboriatur. Hinc Origenes in Leuit. Homi. iij. cap. iij. diſertè inquit: Sed Euangelicum præceptum in eo perfectius datum eſt, quod iudicandi peccatum, modum diſciplinamq; conſtituit. Non uult enim te, ſi fortè uideris peccatũ fratris tui, continuò

euolare ad publicũ, & paſsim proclamare ac diuulgare aliena peccata, quod eſſet utiq; non corrigentis, ſed potius infamantis: ſolus inquit, inter te & ipſum ſolum corripe eum: ubi enim ſibi ſeruare myſterium uiderit ille, qui peccauerit, ſeruabit & ipſe emendationis pudorem: ſi uerò diffamari ſe uideat, illicò ad denegandi impudentiam conuertetur, & non ſolum non emendaueris peccatum, ſed & duplicaueris: diſce igitur ex Euangelijs ordinem: primò, inquit, ſolus inter te & ipſum: Secundò adhibe tecum alios duos aut tres, ut in ore duorum aut trium &c. Cùm ergo Euangelij tale mandatum ſit, & lex præcipiat: quia ſi tacueris, accipies peccatum eius, ſciendum eſt, quòd ſi quis ea quæ uidet in delicto proximi

ximi ſui, uel non iudicat ſecundum regulam ſuperius datam, uel in teſtimonium uocatus, non quæ uera ſunt dixerit, peccatum quod commiſit ille, quem cælat ipſe, ſuſcipiet, & pœna cõmiſsi reuoluetur ad conſcium, &c. Hæc ille. Ex quibus ſatis clarè patet, quantum à charitatis tramite & Dei uerbo receſſerint hi, quibus hac neglecta norma, uel priuato odio, uel maledicendi ſtudio, diffamare quemlibet, & publico rubore afficere libuerit, & quantum huiuſmodi ardeliones Eccleſijs, ac puræ Euangelij doctrinæ nocüerint, ac ſcandalo fuerint, omnes pij indies adhuc lugent.

Sed diceret aliquis, hunc correptionis ac delationis modum ue formam, ad paſtorem non pertinere, ſed ad priuatos, ut ex ipſis uer

bis Euangelij, ſi bene cõſiderentur, uidere licet, cùm textus dicat: Si in te peccauerit frater tuus, argue eũ inter te & ipſum &c. Si itaq; in perſonã ipſius paſtoris nihil cõmiſſum ſit, nõ eſt, ut etiam ab ipſo ſecundũ eam normam quis argui debeat, ſed conſiderandum eſt, tametſi uerum ſit, in priuatorum delictis atq; cauſis, huic normæ etiam locum eſſe, inde in foro Eccleſiaſtico in uſu denunciationem Euangelicã fuiſſe compertum eſt, de quo habetur in c. *nouit ille qui nihil ignorat. ext. de iudi.* per quam etiam grauiſsimæ cauſæ ſecundum bonum & æquum, ac Chriſtianæ charitatis regulas, omni iudiciorum ſtrepitu, ac rigore iuris ciuilis poſtpoſito, diſcuſſæ ſunt: tamen negandum nõ eſt, in publicis delictis hanc etiam ſibi

ſibi potiſsimùm uendicare locum, cùm hæc ad totam pertineant Ec- cleſiam, cuius maximè intereſt, nō habere ouem morbidam, qua uel cæteras inficiat, uel ſcandalo ſit to- ti cœtui. Qui itaq; ſe polluūt publi- cis criminibus, idq́; notorium ſit, hos in totam Eccleſiam peccare du bium non eſt. Et paſtoris, cùm mi- niſter ſit Eccleſiæ, officium eſt, animaduertere in eos, & hoc ſuprà iam ſcripto modo, quod & præce- dentia illius Euangelici contextus arguunt, de oue errante, qua cura & diligentia ad gregem ſit reducen dā, & ſtatim ſubſequitur hic redu- cendi modus. Et quòd hęc arguen- di norma in publicis delictis & pa- ſtore locum habeat, patet clarè ex Paulo, ad Titum cap. iij. ubi iubet, Sectarum autorem poſt unam atq;

alteram admonitionem fugiendū eſſe. Item ij. Corint. xiij. ubi inquit in principio: Hic tertius erit aduentus ad uos, in ore duorum aut trium continetur omne uerbum. Et ad Gal. vi. iubet eum qui aliquo delicto occupatus fuerit, inſtaurari ſpiritu lenitatis. Et D. Doctor Lutherus ibi plenè inſtruit paſtores, quomodo agere debeant cum his, qui correptione indigent. Et Paulus 1. ad Timo. v. inquit: Seniorem ne ſæuius obiurges, ſed adhortare ut patrem, iuuenes ut fratres, mulieres natu grandes, ut matres, iuniores ut ſorores: quæ omnia non niſi de illa priuata admonitione intelligi poſſunt, quia nominatim id in publicis concionibus fieri perquàm abſurdum foret, & nunquam in uſu fuiſſe compertum eſt.

Inſuper & quòd nullus hominũ indicta cauſa condemnari debeat, atteſtantur nobis hiſtoriæ, lapſus primorum noſtrorum parentum: Nam hi cùm trãſgreſsi fuiſſent mã- datum Dei, tamen hoc tam enorme peccatum ac notorium, ſtatim per angelum exequi non iuſsit, ſed De- us primùm paradiſum ingreſſus, eos ad ſe uocatos & accuſatos, tan dem ſecundum quę confitebantur, in illos tulit ſententiam. Hinc apud utriuſque iuris dd. traditum extat, citationem, & quòd cauſa non di- ſcuſſa ac inaudita condemnari quis non debeat, iuris diuini ac natura- lis eſſe. Quare temeritatis notam effugere non poſſunt hi, qui diuino naturalique iure contempto ſine o- mni cauſæ cognitione, ipſa ſtatim executione aliquem grauare pręſu-

mant. Nã ſi hoc in priuatorum delictis non licet, quanto minus in publicis locum habere poterit? Itaque perquàm abſurdum foret, hoc Chriſti præceptum ad priuatorum admiſſa contorqueri, & in publicis delictis ac criminum coarctione locum huic non eſſe, uelle contendere.

Sed rurſus quis inſtabit ac dicet, eo modo omnium corrigere errores, perquam difficile eſſe paſtori, uel etiam toti collegio, & fieri non poſſe, quin & multæ contentiones tam inter priuatos quàm omnium ordinum ciues inde oriantur, quare ſufficere pro concionibus in genere errores taxare. At contra hæc & illud perpendendum, quòd tametſi uerum ſit omnium hominum uitia excommunicatione emẽdari

non poſſe, unde illud uulgare di-
ctum: De occultis nõ iudicat Eccle
ſia, tamen ex hoc non putandum,
ut ſi quæ ſunt crimina excommu-
nicationi ſubiecta, ad eam procedi
non poſſe, hoc ordine ac modo,
quem Chriſtus præſcripſit. Quare
hic conuenienter declarandum re-
ſtat, in quibus cauſis ac criminibus
excommunicatio ſibi locum uen-
dicat. Et conſtat in omnibus deli-
ctis ac erroribus huic locum non
eſſe, ſed tantùm in grauioribus, ut
1. Corint. v. & Gabri. in diſt. xviij. q.
ij. pro leuibus enim peccatis etiam
mortalibus non ferenda excommu
nicatio, ſed tantùm pro incorrigi-
bili, cui annexa eſt contumacia, ut
ij. Theſſa. iij. ut, non obedientes ſer-
moni noſtro &c. Et Epiſtol. Ioan.
ij. & Mat. x. Excutite puluerem etc.

& Matth.xi.ubi ciuitates auerſantes uerbum Dei excommunicantur &c. Hinc eſt quod Cyprianus inquit, gladium hunc non niſi ſumma grauitate & neceſsitate in crimine publico aut hæreſi diſtringi debere, exemplo & doctrina Pauli. Et hoc ubi periculũ ſchiſmatis nõ ſubſit, alioqui & tunc ſubſiſtendum, ut Auguſti. docet, cùm inquit: Scripſi uobis in Epiſtola, non commiſceri fornicarijs, non aliquid nouum aut inſolitum dicam, ſed quod ſanitas obſeruat Eccleſiæ, ut cũm quiſquã fratrum, id eſt, Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali delicto fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum ſchiſmatum nullum eſt, atq; id cum dilectione &c. Vbi au-

tem

tem illud timendum, propter multitudinem peccãtium, aut quia uitia in mores abierint, errores mutari non poſſe, tum hi diuino potius iudicio committendi, quàm temerè quid in hac re inchoandum eſt, ut idem Auguſtinus ait. Cùm uerò ille morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus, ut Paulus inquit, & lugebo multos &c. Et idem in Epiſto. ad Parmeno. li. iij. cap. 1. inquit: Si re uera contagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſæueritas neceſſaria eſt, turba autem iniquorum, cùm facultas eſt, in populis promendi ſermonẽ generali obiurgatione ferenda, & maximè ſi occaſionem atq; opportunitatem prebuerit aliquando domini flagellũ deſuper &c. Ex qui-

bus

bus patet, nihil temerè quicquam in hac cōmittendum, ſed cum ſumma animi deliberatione agendum eſſe.

Et cùm excommunicationis finis ſit correctio proximi, in ipſa charitate fundata, ideo pij paſtoris eſt, hunc ſemper ſibi ante oculos præfixum habere, diligenterq; circumſpicere, an ea quæ ad pietatem cōferunt, & ædificationis ſunt proximi, promouere quid poſsit, an minus, ne potius crabrones excitet. Quamobrem diligenter caſus cum omnibus ſuis circumſtantijs perpendendi ſunt, in quibus excommunicationi locus eſſe debeat, qui & à pijs uiris adnotati ſint, de quibus ſingulis tractare operæ quidem precium eſſet, ſed hanc rem diſcutiendam alijs, qui maiori doctrina

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

doctrina ac eruditione pollent, relinquo, & hæc obiter in gratiam amicorum me adnotaſſe ſufficiat.

FINIS.

FRANC. Apud Hæred. Chri. Egenolphi.
M. D. LXI.

3